ELEGEIA ROMANA,

SIVE

SELECTAE

P. OVIDII NASONIS, ALBII TIBULLI

ET

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIAE.

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

ATQUE ILLUSTRAVIT

GUILIELMUS ADOLPHUS BECKER,

GYMNASII SERVESTANI CONRECTOR.

ACCEDUNT SELECTAE E P. OVIDII NASONIS FASTIS PARTES.

SERVESTAE,

APUD GUSTAV. ADOLPH. KUMMER.

1827.

[illegible]

[illegible]

Viro

Illustrissimo, Generosissimo,

Excellentissimo:

Wolfio Carolo Augusto de Wolframsdorf,

Sereniss. Duci Anhaltino ab interioribus consiliis,

Collegii, cui commissa est Ducatus Dessaviensis administratio,

Praesidi,

Nobilissimi Aquilae Rubrae ordinis Equiti secundario:

Patrono

de me multis modis et egregie merito.

Quod Tuo nomine hoc opusculum inscriptum volui, nescio an inverecundius a multis fecisse dicar, siquidem grandia magnos, praeclara illustres decent, neque vulgari arte alta deorum templa ornare fas est. Quibus quamquam deterreri poteram causis, nihilo secius aliae me impulerunt, tamen ut facerem. Primum enim dulce putabam esse, non solum coram paucis, sed publice etiam profiteri, quam pius Tui nominis sim cultor, quam grato

et memori beneficiorum TUORUM animo TE spectem, quamque ardentibus precibus pro TUA salute coelum fatigem: qui quidem inter tot viros, hoc, quod Servestae egi, lustro de me optime meritos dux et princeps exstitisti. Atque haec TUA liberalitas, qua sollicitum saepe et in praesens sublevasti, et melioris aevi spe erexisti, ut benignum TE mihi in posterum quoque spondet, ita olam spem mihi iniicit non spretum iri

a TE hunc meum libellum. Qui quidem etiam propterea TUAM sibi prae caeteris expetit gratiam, quod in eius scholae usum est scriptus, quae TE auspice et rege floret florebitque. Neque vero qui generoso sunt et liberali animo parva grati animi dona spernunt, nec solent irasci, cum quis minus digna, modo ne indigna, officiosi animi signa offert. His ego fretus huncce libellum TUUM esse iussi, quem ut benigno iam vultu

atque aequo animo excipias, iterum iterumque rogo. At TE pro meritis TUIS largis coeli numina beneficiis ornent, neque unquam Oceano Sol equos mergat, quin felicitati TUAE nonnihil accessisse sentias.

Praefatio.

Ex quo erudiendae per antiquas literas iuventuti operam dare coepi, saepenumero indolui cum tot commendari viderem et legendos tradi adolescentibus scriptores, ab iis tamen eos arceri, qui et iuvenili animo omnium maxime conveniant, et longe praestantissimi omnium iudicio declarentur. Certum enim et confessum equidem dicam esse, neque heroica carmina, neque sublimiorem lyram tantum iuvenili animo habere illecebrarum, quam molles et placidos elegos, quibus leves canuntur leviore plectro hominum et curae et voluptates, et ex pugnis deorumque conciliis parvam reducimur domum, non illam auro et ebore nitentem, sed Musis et Apollini gratam, perpetuamque Cupidinis et Liberi Patris sedem. Unde apparet, si quis interiorem veterum vi-

tam, si res domesticas, moresque et ingenia cognoscere velit, non abeundum ei qua arma sonant et laetas segetes equi quatit ungula, nec qua deorum heroumque canuntur laudes, et correptus furore vates per liquidum fertur aethera, terris relictis; sed qua suas curas, suaque gaudia, parvos Lares aptamque supellectilem celebrat poëta. Atque e Romanorum quidem scriptorum numero nescio an nihil praestantius, nihil suavius neque dulcius dici debeat, quam cuncta fere Tibulli, plurima Propertii, nonnulla etiam Ovidii carmina. Quamquam fore non dubito, qui haud exiguam eorum partem pro nugis habeant et materia premi ingenium dicant. Sed tamen hos etiam, nisi forte aversum prorsus habeant Apollinem, confessuros puto, tanta arte atque elegantia omnia ornari, tam ingeniose et facete levissima etiam argumenta tractari, ut nemo possit non admirari, sed dubii saepe haereamus, ingenium an artem, an sensuum nobilitatem pluris faciamus. Enimvero verissima esse censeo quae Lucianus scripsit πρὸς ἀπαίδευτον: p. 387. ed. Graev. δύο εἶναι ἅττ' ἂν

παρὰ τῶν παλαιῶν τις κτήσαιτο, λέγειν τε δύνασθαι καὶ πράττειν τὰ δέοντα ζήλῳ τῶν ἀρίστων καὶ φυγῇ τῶν χειρόνων. Atque hic quidem paene divinus, qui per totam antiquitatem spirat, animus; ardentissimum illud virtutis et quidquid est pulchri bonique, studium; larga maxime sublimium et nobilissimarum sententiarum copia, egregia denique in dicendo et absoluta paene omnibus numeris ars, sperare nos iubent, nunquam fore ut Graeci et Romani scriptores in oblivionem adducantur, etiamsi maiore hiatu obscurorum virorum turba abiicienda haec studia esse clamitent.

Neque enim sine indignatione animadvertisse puto, quicunque antiquas artes adamare coeperunt, his ipsis, quae toties cultum suum iactant, temporibus non deesse, qui studiorum illorum utilitatem impugnent, et Graeco Latinoque sermonibus addiscendis indignum in modum tempus teri querantur *). Nihil enim

*) cf. Allgem. Schulz. 1825. Jul. No. 85. Sept. No. 105. 1826. May. Abtheil. II. No. 38.

exemplis nos proficere inde sibi videntur evincere, quod ipsi Graeci simili studio minime usi sua virtute ad tantum fastigium sese evexerint. Quorum si quis egregiam legere cupit refutationem, adeat Ciceronem, qui in praestantissima pro Archia oratione (cap. VII.) „Quaeret quispiam, inquit: Quid? illi ipsi summi „viri, quorum virtutes literis proditae sunt, „istane doctrina, quam tu laudibus effers, eru„diti fuerunt? Difficile est hoc de omnibus „confirmare. sed tamen est certum, quid re„spondeam. Ego multos homines excellenti „animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, na„turae ipsius habitu prope divino, per se ipsos „et moderatos, et graves exstitisse fateor. etiam „illud adiungo, saepius ad laudem atque virtu„tem naturam sine doctrina, quam sine natura „valuisse doctrinam. Atque idem ego con„tendo, cum ad naturam eximiam atque illu„strem accesserit ratio quaedam et conformatio „doctrinae: tum nescio quid praeclarum ac „singulare solere existere.“ Ergo Romanos qui totius orbis et ipsius Graeciae dominos magna cum superbia sese ferebant, non puduit

fateri; se Graecos magistros habuisse; nos illos repudiemus quorum imitatione Cicero, Horatius, Virgilius, Tacitus innumerique alii aeternam sibi laudem paraverunt? — At enim qui hodie Zoili personam reducunt, aut inflati sunt tantopere, ut turpe putent exemplis uti; aut satis inepti, qui quidquam externi recipiant; aut denique ea premuntur inscientia, ut quid sit pulchri in antiquis artibus scriptisque intelligere non possint; simul vero, qua sunt pigritia, meliorem harum rerum cognitionem sibi parare nolunt.

At vero in scholis quod elegiarum scriptores raro leguntur aliae sunt causae. Multos enim mecum dolere, multos paratos esse, qui missis aliis Tibullum et Propertium discipulis suis interpretentur, nisi horum scriptorum protervitas, sordesque, quibus carmina sua inquinavere, iuventuti haec opera tradere vetarent. Ergo quum delectu opus esse viderem, neque qui viri similem curam susceperant satisfecisse desiderio viderentur *).

*) Paene absoluto demum opere (quod per superioris anni aestatem excudi coeperat, sed, longis moris interpositis, vix

Bacchii autem, quae paullo ante edita erat, Anthologia *), etiamsi condonaveris istam in commentario critici ingenii ostentationem, pro qua obscurorum locorum illustrationem exspectaveris, vel propterea inutilis reperta esset, quod ipsas elegias impuras ad honestatis, pinto, et pudicitiae studium in iuventute confirmandum recipere non dubitavit, ipse iam operi me accingebam, delectum habiturus eorum carminum, quibus neque erubescere pudici cogerentur, neque lascivioribus animis damnosa pabula praeberentur. Bis tamen id quoque mihi indulsi, ut paucos versus impuros, qui reliquo carmine salvo excidere possent, non monito lectore omitterem, ne pulcherrimorum carminum iacturam flerem. Quod si stulte fecisse alicui visus fuerim:

Illo convincar iudice stultus ego.

nunc quidem prodit) Ephemerides literariae famam mihi attulerunt Anthologiae a Iacobsio curatae. Quam si praescissem editum iri, fortasse deterritus essem ab incepto meo. Nunc ubi prodiit, et *corrigere est nefas*, non tamen piget laboris mei.

*) Geist der römischen Elegie von E. C. Chr. Bach. 2te Ausg. Gotha 1816.

Quum vero non uni classi scripturus essem, Tibullo et Propertio Ovidium adiiciendum putavi, cuius utinam ex scriptis melioribus plura promere licuisset! In commentario autem condendo multiplex mihi erat consilium. Primum enim gratum me facturum existimabam ipsis praeceptoribus, si ea ibi congererem, quibus ad explicanda carmina opus esset, ut supersedere possent operosa praeparatione, neque tot horum scriptorum editiones sibi comparare cogerentur. Et quum tribus classibus destinatam hanc anthologiam, infimam quidem omni adnotatione carere et posse et debere putabam, quare non solum leviora non tetigi, sed Latino etiam sermone scripsi, quae vel magistris suppeditanda vel caeteris ordinibus censebam. Medium enim ordinem uti velim meis adnotationibus ad praeparationem, quae lectionem praecedere debet: quibus quidem multis modis iuvabuntur, quamquam praeceptoribus non pauca relinquenda putavi. Superiori denique ordini hunc librum trado, qui sine ope magistri et Ovidii quaedam, et Tibullum Propertiumque adiutus commen-

torio legat. Quod si interdum copiosius quibusdam de rebus (ut de pronominibus *quisquam* et *quisque*) egi, atque obiter scriptores vel emendare vel illustrare conatus sum (ut Horatium p. 44. et 130. Virgilium p. 104. et 134.), eius rei me veniam impetraturum spero, siquidem ipsam rem disputationibus his paullisper iuvi et promovi. Sin aliter iudicatum fuerit, cum oleo operam perdidi. Certe ne dicendi de pronomine *quisquam* occasionem praetermitterem stimulo erat, quod ipsum virum summum, Heindorfium (ad Hor. Sat. I, IV, 35.), parum accurate de hoc pronomine statuere videbam. Caeterum utcunque munere meo functus esse visus fuero, id unum scio et animadversum iri a multis puto, me neque servilem fuisse aliorum assentatorem, neque ullius loci explicationem detrectasse, quem non paucorum esse video morem. Neque si errasse hic illic dicar, mirabor, neque aegre feram, memor viri summi Richardi Bentleii sententiae: „Multa in hac studiorum alea vera et „certa cadunt, quae fidenter asserimus: multa „quoque veris non absimilia, quaeque sine

„fraude et damno lectoris minime sunt prae-„tereunda, pro quibus tamen spondere et va-„dari nolumus.“ ad Horat. Epist. II, I, 6. Ergo si quem locum post virorum doctorum curas etiamnum obscurum viderem, nulla neque auctoritate, neque nominis celebritate deterreri me passus sum, quin iterum eum in examen vocarem, et errores nullo discrimine retegerem, ne imbelles tantum vexasse dicerer, *ignavus adversum lupos.* Scripturam tamen carminum rarissime, nec nisi in Ovidianis mutavi, secutus ibi etiam recensionem Burmannianam. Tibullum dedi ex recensione Heynio-Wunderlichiana, quae hodie vulgatae instar habetur. In Propertio Vulpianam, qualis edita iterum est a Barthio, caeteris praetuli, quarum nimia mihi videretur esse audacia.

Caeterum texendis ad Ovidium animadversionibus nihil fere fuit adiumenti, sed exspectat hic scriptor commentatorem suum. Prodierunt quidem nuper Tristium libri, a Platzio simul et Kleinio editi, sed quid in horum virorum curis sit praesidii, vel una pagina perlecta cognosces. Alteri enim Daedalum volasse,

et solstitii tempore noctes esse breviores, hiemis vero longissimas, aliaque huius generis innumera indicanda sunt visa; contra quid sit *Arctos versa ab axe suo* (I, III, 48.), quid *rustica terra* (III, XII, 5.), quid *casu mirari* (III, III, 1.), quo iure dicatur: *putare in aliquem* (V, X, 41.), et *insomnia n. pl. pro vigiliis* (III, VIII, 27.), et quaecunque sunt difficiliora, tacet. Idem facete *temporis arma* (IV, X, 106.) putat esse tolerantiam et animi fortitudinem, et *grandes literas* (III, III, 72.) pro capitalibus habet; neque Kleinio, quem in his omnibus habet adsentientem, quidquam praeclari reliquit, nisi quod hic eundem Tibullo et Ovidio fuisse natalem falsi ne suspicione quidem ulla scripsit! Taciturus haec eram, nisi vidissem toties laudari libros, in quibus nihil est laude dignum, nisi si quid aliis forte debetur. In Tibullo vero illustrando multum me Heynio, Wunderlichio, inprimis autem Huschkio, magnae eruditionis viro, nonnihil etiam Bachio debere, non infitior, et, ne fraudis reus agerer, singulis locis quid cuique debeam indicavi. Ipse tamen an *ἀσύμβολος* venerim videant eruditi. In solo Proper-

tio, scriptore indignum in modum corrupto, saepiiis rem in medio relinquere coactus sum, hic illic tamen huic etiam lucem me affudisse spero. — Denique eclogis his adieci selectas Fastorum partes, quoniam hi libri iisdem, quae supra indicavi vitiis laborant. Atque hic commentariis scribendis supersedere posse putabam, primum ne maius fieret, quam constitutum fuerat volumen; deinde, quod qui interpretaturi haec essent in scholis, doctis Gierigii commentariis uti possent.

Restat ut pauca in priore libri parte praetermissa adiiciam. Primum igitur

p. 14. adnot. ad v. 80, adde, quod quae Romanis iusta, eadem Graecis dicuntur *τὰ προσήκοντα*. Plat. Menex. p. 236, *ἔργῳ μὲν ἡμῖν οἵδ' ἔχουσι τὰ προσήκοντα σφίσιν αὐτοῖς*.

p. 19. ad v. 6. Falsus sum non minus quam Burmannus et caeteri. Non eam dicit Ovidius lucem, qua Roma discedendum fuerit, sed qua *extremae* Ausoniae finibus excedere iussus fuerit, i. qua, ne in Italiae finibus esset, Augustus imperaverat.

p. 31. v. 50. Similiter Graeci fluctum permagnum *τρικυμίαν* vocant.

p. 47. v. 14. *servare*. adde Westerh. ad Terent. Eun. IV, VII, 10.

p. 72. v. 2. adde Virg. Ecl. II, 65. *ŏ Alexi*. VII, 44. *Hўlă, Hўlă omne sonaret*. Georg. I, 281. *Pēlĭŏ Ossam*. ib. 437. *Panopēae et Inoo Melicertae*. Ovid. Fast. I, 81. *praeĕunt*.

p. 113. v. 45. Hor. Epist. I, XVIII, 34. *Dormiet in lucem*.

p. 198. v. 12. Vide an opis aliquid sit in versu Ovidii Fast. III, 855. *Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet*.

Errores typographicos si quos in repetita lectione animadverteram ad calcem operis indicavi. Quod si praeterea aut a typographo aut mea ipsius culpa peccatum fuerit, id, lector benevole, velim aequi bonique consulas, et gratum te mihi facturum existimes, si quacunque de re melius me edoceas. Nam errare humanum est, fovere errores et stultum et impium. Scrib. Servestae M. Iulio. cIↄIↄCCCXXVII.

SELECTAE
P. OVIDII NASONIS
ELEGIAE.

Trist. IV, X.

Ovidii vita.

Ille ego qui fuerim tenerorum lusor amorum,
Quem legis ut noris, accipe, posteritas.

v. 1. *Qui fuerim*, quo loco et genere natus sim, quae fuerit mea vita. Apuleii locum laudavit Heins. Met. I. *Sed ut prius noritis qui sim et cuiatis.* et Catal. Pith. p. 117.

Et tu, quae fuerim, *si nosses*, *candide lector.*

Scilicet is pronominis est usus ut aut rem, qualis sit, respiciat (was für ein), aut e maiore numero unum, de quo iam agatur, depromat (welcher); ut Plaut. Amphitr. I, I, 1.

Qui *me alter est audacior homo, aut qui me confidentior?*

Terent. Andr. II, VI, 22.

Quem, *inquit*, *vocabo ad coenam meorum aequalium*
Potissimum nunc? —

Ita *qui vestrum*, et sim. Contra Terent. Eun. II, II, 11. Qui *color*, qui *nitor*, Cic. pro Mur. 15. *Si diligenter*, *quid potuerit Mithridates*, qui *vir fuerit*, *considerabis.* i. e. qualis quantusque. — *tenerorum*: mollium. Art. am. II, 273. teneros *mittere versus*, et Amor. III, VIII, 2. tenerum *carmen.* ita *imbelles elegi*, Amor. III, XV, 19. quapropter et lusorem se vocat. Eodem sensu apud Tibullum est *tener Amor.* I, III, 57. II, VI, 1. et *tener Bacchus. tener Arabs.*

v. 2. *Posteritas.* Choriambum in fine Pentametri Ovidius in limatioribus scriptis tam constanter repudiavit, ut non nisi duo-

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem.
Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,
Cum cecidit fato Consul uterque pari.
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis haeres,
Non modo Fortunae munere factus eques.

---

rum meminerim locorum, quibus eiusmodi versus legantur. Fast. V, 580. *fluminibus.* VII, 660. *funeribus.* At in Tristium libris et ex Ponto epistolis maiore hac in re licentia usus quadragies fere eum exitum admisit. Quin etiam anapaestum, qui in reliquis scriptis semel tantum legitur, Heroid. XIV, 62. hic ter invenies. Pont. I, VIII, 40. III, V, 40. III, VI, 46. — Videtur autem haec negligentia inter vitia horum carminum esse, quae ut tempore excusare vellet, lectorem ipse poëta monuit. Trist. IV, I, 1 sqq. cf. I, XI, 35. Pont. III, IX. Quare caveant tirones, ne his usi exemplis simili modo peccent, licet Tibullus etiam et Propertius idem sibi aliquoties indulserint, et Graecis nulla in his verbis sit mora. — *accipere*: audire, cognoscere, ut saepe. Accipimus enim quidquid traditur.

v. 3. 4. *Sulmo.* Pelignorum urbs, hodie Sulmona, cuius aquarum ubertatem aliis quoque locis poëta celebrat, ut Am. III, I, 1.

Haec quoque composui, Pelignis natus aquosis.

Vix tolerabile autem per aestatem harum aquarum esse frigus, auctor est Plinius Hist. Nat. XVII, 26. (41.) Hinc puto Horat. III, XIX, 8. *Peligna frigora.* — *distare*: abesse aut loco aut tempore. Hor. l. l. *Quantum* distet ab Inacho Codrus.

v. 6. *Consul uterque.* Intellige Aulum Hirtium et C. Vibium Pansam, qui in bello Mutinensi paucorum dierum intervallo ceciderunt, quod accidit a. U. IↃCCX. vid. ad Tib. III, V, 18.

v. 7. De scriptura horum versuum ut dubitari potest, ita certum videtur, Amor. III, XV, 5. parum apte eos esse intrusos, quum arctissime cohaereant alterum quartumque Distichon. Praeterea scire velim, quid poëticae gloriae addat ordo equestris. —

v. 8. *fortunae munere*, aut militiae turbine, (sanguine, Amor.

Nec stirps prima fui, genito sum fratre creatus,
  Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem;
  Una celebrata est per duo liba dies.

III, VII, 10.) quod bellis civilibus haud raro servi aliique sordidissimi homines in nobilissimarum familiarum locum subrepserant, cuius rei exempla vide apud Vell. Pat. II, 65. Horat. Epod. IV. adde Tacit. Hist. I, 13. Iuven. Sat. III, 153 sqq.

v. 9. *Stirps prima*: prima suboles. Ut enim arborum non solum trunci, verum etiam nova germina stirpes vocantur, ita hoc nomine ipsi etiam nati, non origo tantum ac genus, significantur. Virg. Aen. III, 326.

Stirpis *Achilleae fastus iuvenemque superbum* etc.
i. e. Pyrrhi.

Tacit. Ann. II, 37. *En* stirps *et progenies tot consulum tot dictatorum.* — *genito iam fratre* post Heins. legit Burm. quod non placet.

v. 11. *Lucifer a. n. adfuit idem.* Eandem dicit sibi fratrique fuisse natalem. *Lucifer* pro die est etiam Fast. I, 46.

Non habet officii Lucifer omnis idem.

v. 12. *per duo liba.* Libum panis sive placentae erat genus farre, melle et oleo factum. v. Varr. r. r. II, 8. Serv. in Aen. VII, 109. Cuius quum praecipuus in sacris esset usus, a libando nomen traxisse putatur. Natali autem die Genio sacra fieri solebant libo, mero, odoribus, vid. Cens. d. d. n. c. III. Tib. II, II, 8.

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
  Cui decorent sanctas mollia serta comas;
Illius puro destillent tempora nardo,
  Atque satur libo *sit, madeatque mero.*

cf. Amor. I, VIII, 94. Hinc Mart. X, epigr. XXIV, quinquagesimum Natalem significans dicit:

Quinquagesima liba *septimamque*
Vestris addimus hanc focis acerram.

Haec eadem sunt annua liba Iuvenalis. Sat. XVI, 39.

Haec est armigerae festis de quinque Minervae,
Quae fieri pugna prima cruenta solet.
Protinus excolimur teneri, curaque parentis
Imus ad insignes Urbis ab arte viros.

---

v. 13. *armigerae Minervae.* Armatam Palladem ipse Homerus finxit Iliad. V, 736 sqq.

ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο,
τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν —
κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον,
χρυσείην, ἑκατὸν πόλεων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν.
ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσετο, λάζετο δ' ἔγχος
βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν κ. τ. λ.

cf. Odyss. I, 99. Hesiod. Theog. v. 924–26. Ita plerumque ab artificibus et ab ipso Phidia esse fictam notum est. vid. Paus. Att. XXIV, 7. De aliis Palladis simulacris vid. Winkelm. Werke Bd. II. p. 513. — *festis de quinque.* Quinquatrus dicit sive Quinquatria, festum Minervae mense Martio per quinque dies celebrari solitum. Non tamen a numero dierum nomen traxisse tradit Varro. l. l. V, 3. cuius verba licet ex parte obscura apponam: *Quinquatrus, hic dies unus a nominis errore observatur, proinde ut sint quinque, dictus ab Tusculanis. Post diem sextum Idus similiter vocatur Sextatrus, et post diem septimum Septimatrus. Sic hic, quod erat post diem quintum Idus, Quinquatrus.* Ita enim *triatrus decimatrus* etc. cf. Gell. N. A. II, 21.

v. 14. *prima cruenta.* altera festi, ut ipse narrat Fast. III, 811 sqq. — Iam quum sacra Minervae facta fuerint XIV. Kal. April., patet Ovidium XIII. Kal. April. natum esse. — *pugna:* intellige gladiatoriam.

v. 16. *insignes Urbis ab arte viros.* Urbis, i. e. Romae. — „Insignes ab arte accipio eos qui artibus quibuscunque docendis insignes ac celebres tum fuere, non tantum qui post grammatica adhibebantur, ut sit dictum insignis ab arte perinde ut potens a pecunia, firmus ab aequitate, felix a laude, apud Ciceronem et similia." Micyll. Artem per excellentiam dici de Grammatica docuit ampl. Cuperus I Obss. II. sed se-

Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi iam puero coelestia sacra placebant,

---

quentia ostendunt latius hic capiendum, ut Micyllus fecit, et est enallage temporis (scr. numeri) pro artibus, quibus ingenui et liberales iuvenes imbui solent. Horat. I Sat. VI, 70.

Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, *quas doceat quivis eques atque Senator*
Semet prognatos.

et IV, I, 15. *centum puer* artium. Burm. — Est enim hic *ab* Graecorum πρός. Cic. Att. VII, 15. *Sumus enim flagitiose imparati, cum a militibus, tum a pecunia.*

v. 17. *viridi ab aevo.* a prima iuventute. Virg. Aen. V, 295.

Euryalus forma insignis viridique *iuventa*,

VI, 304.

Iam senior sed cruda deo viridisque *senectus.*

Idem Graecis est *χλωρόν.* Eurip. Hec. 123 sq.

τὸν Ἀχίλλειον τύμβον στεφανοῦν
αἵματι χλωρῷ.

i. e. virginis Polyxenae. Theocr. XIV, 68 sqq.

— — — ἀπὸ κροτάφων πελόμεσθα
Πάντες γηραλέοι, καὶ ἐπισχερὼ ἐς γένυν ἕρπει
Λευκαίνων ὁ χρόνος; ποιεῖν τι δεῖ οἷς γόνυ χλωρόν.

Schol. *οἷς γόνυ χλωρὸν ἀντὶ τοῦ ἕως ἀκμάζομεν.* cf. Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 219. Heyne ad Iliad. XI, 630. Mitscherl. ad Hor. Epod. XIII, 4.

v. 18. *verbosi.* Trist. III, XII, 18.

Cedunt verbosi *garrula bella fori.*

quia scil. ibi tam publicae, quam privatae causae ab oratoribus agebantur. Haec enim sunt bella et arma fori. Similiter Quinctilianus Inst. Or. II, 15. dixit: *arma facundiae.*

v. 19. *Coelestia sacra.* Musarum sacerdotium. Prop. III, I, 1 sqq.

Callimachi Manes et Coi sacra *Philetae,*
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.

Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Saepe pater dixit: Studium quid inutile tentas?
  Maeonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis, totoque Helicone relicto
  Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos,
  Et, quod tentabam dicere, versus erat.
Interea tacito passu labentibus annis
  Liberior fratri sumta mihique toga est:

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

ubi vid. Broukh. Virg. Georg. II, 475.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero —— *accipiant.*

cf. etiam Hor. IV, VIII, 29. et Nost. Pont. IV, VIII, 55.

v. 20. *furtim.* me ipso nescio. Tib. IV, II, 7. sq.

Illam, quidquid agit, quoque vestigia movit,
Componit furtim, *subsequiturque Decor.*

Fast. III, 19.

Blanda quies victis furtim *subrepit ocellis.*

v. 22. *Maeonides ipse.* Quid tu, quum ipse Homerus poëtarum summus pauper sit mortuus. Claud. Epigr. XXIV, 15.

Sed non Virgilius, sed non accusat Homerus.
Neuter enim quaestor, pauper uterque fuit.

v. 23. 24. *toto Helicone.* missa omnino poësi. *soluta modis.* modi, qui sequenti versu numeri. *μέτρον.*

v. 27. *tacito passu.* placido tenore, ut progredientes vix sentirem. est enim tacitum etiam id, quod non animadvertitur. Virg. Aen. IV, 67. tacitum *vivit sub pectore vulnus.* et v. 306. *Sperasti* tacitus *mea decedere terra.* — Similiter Nostro, sed haud scio an venustius etiam, nostrae aetatis cecinit scriptor:

Wo durch die thaubeperlten Gefilde
Der Abend mit leisen Tritten *ging.*

v. 28. *liberior toga.* toga virilis, quae iuvenibus anno XVI

Induiturque humeris cum lato purpura clavo,
Et studium nobis, quod fuit ante, manet.
Iamque decem vitae frater geminaverat annos,
Cum perit, et coepi parte carere mei.

---

exacto sumebatur, quum ad hunc usque diem praetexta induti fuissent. Eadem *pura* etiam i. e. nulla purpura insignis et libera vocabatur, non quia in Liberi patris festo sumebatur, sed quia hic dies transscriptis liberioris vitae initium erat. Hinc Persius Sat. V, 30.

Quum primum pavido custos mihi purpura cessit.

Plut. de aud. ab in. *ὅτε τῶν προσταττόντων ἀπηλλάξαι, τὸ ἀνδρεῖον ἀπειληφὼς ἱμάτιον.* Quae collustrat mos Graecus. Terent. Andr. 1, 1, 25.

Nam hic postquam excessit ex ephebis, Sosia, ac
Liberius vivendi fuit potestas; nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister prohibebant?

Aliter tamen sentit Böttigerus Aldobr. Hochz. p. 146.

v. 29. *cum lato purpurā clavo.* Clavi, vestis Romanae ornamentum, laciniae erant purpureae, quae vesti assuebantur. vid. Ferrar. de re vest. Part. I. p. 210 sqq. Ruben. d. r. v. I, 13. Graev. Praef. ad Antiqq. Rom. tom. VI. Winkelm. Gesch. d. K. Buch 6. Cap. 3. § 13. Fuit autem latus clavus Senatorum, deinde tamen etiam senatorum filiis concessus, et ipsis (ut quidem vv. dd. videtur) equitibus illustribus, quippe quibus spes Senatoriae dignitatis esset. vid. Lipsium et Ernest. ad Tacit. Annal. XI, 4. Contra angustus clavus reliquorum erat equitum, qui hinc angusticlavii vocabantur, illi laticlavii.

v. 32. *parte mei.* fratrem sui partem (alteram) vocat ut Horatius Maecenatem. Carm. II, XVII, 5.

Ah, te meae si partem *animae rapit*
Maturior vis, quid moror altera?

et Virgilium, Carm. I, III, 8.

Et serves animae dimidium *meae.*

ad quem locum vid. Mitscherl. cf. Trist. I, II, 44.

Cepimus et tenerae primos aetatis honores,
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat; clavi mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis eram.
Et petere Aoniae suadebant tuta sorores
Otia, iudicio semper amata meo.
Temporis illius colui fovique poëtas,
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.
Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo
Quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.

---

v. 34. *e tribus viris.* Intell. triumviros sive tresviros capitales, qui e minoribus magistratibus carceribus praeerant. vid. Duker. ad Liv. XXXII, 26. Alii Monetales intelligendos putant.

v. 35. *Curia restabat.* i. e. Senatorius ordo; sed coëgi. i. e. coarctavi clavi mensuram, latum clavum cum angusto commutavi, quia Senatorio ordini adscribi nolui.

v. 38. *Sollicitae ambitionis.* Sollicita dicitur ambitio, i. e. suffragiorum captatio, quod affert sollicitudinem, quod est plena curarum. Ita apud Horat. Sat. II, VI, 79. *sollicitae opes* sunt quas carm. III, I, ult. vocat divitias operosiores. apud Virg. Ecl. X, 6. sunt *solliciti amores*, ubi tamen male Heynius comparavit Theocr. X, 20. ὠ'φρόντιστος Ἔρως, Scholiastae falsa explicatione fretus.

v. 39. *Aoniae sorores* dicuntur Musae, quod Boeotia inter vetustissimas earum habebatur sedes; ibi enim ἵππου κρήνη et Ἑλικῶνος ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε. vid. Hesiod. Theog. in.

v. 43. *grandior aevo Macer.* Aemilius Macer, Veronensis, Virgilii et Tibulli aequalis qui praeter ornithogoniam (volucres) Theriaca etiam, et de herbis librum scripsit. v. Broukh. ad Tib. II, VI, 1.

v. 44. *quae necet — quae iuvet.* Probo scripturam olim re-

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
  Iure sodalitio qui mihi iunctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo
  Dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
  Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

---

ceptam: *quaeque nocet — quae iuvat.* nocentes enim sunt venenati. Hor. Sat. I, VIII, 18.

— — — *quin ossa legant herbasque* nocentes,

et Epod. III, 3.

Edit cicutis allium nocentius.

Virg. Georg. II, 257. *taxi nocentes.* — cf. Nost. Metam. XIV, 56. et quod firmissimum est nostrae scripturae fulcrum. Trist. II, 270.

Quaeque iuvans *monstrat, quaeque sit herba* nocens.

In modo narrativo autem non est quod reprehendas; perinde enim est ac si dixisset: legit mihi volucres suas et venenatos serpentes, herbasque salutares. vid. ad Her. X, 86.

v. 47. 48. *Ponticus* carminis epici, Thebaidos, auctor; *Bassi* quae fuerint scripta non constat. de illo vid. Broukh. ad Prop. I, 7. 1. de hoc eundem ad Prop. I, IV, 1. — *heroo* sc. pede sive versu. — *convictus membra.* familiares mihi sive aequales. Pont. II, X, 9.

Quam (curam) tu longi debes convictibus *aevi.*

v. 49. *Et tenuit.* Graev. ad Cic. epp. ad fam. V, XII. „Tenere saepissime est delectare, voluptate afficere. Cic. IV Acad. *ut oculi pictura* teneantur, *aures cantibus.* Id. V, de fin. *ut pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis* teneantur. Plin. IV, ep. 13. *Quo genere spectaculi ne levissime quidem* teneor. Cic. VII. ad fam. ep. ult. *studiis iisdem* teneantur. Ovid. IV, Metam. (v. 283.)

„*(Et Crocon in parvos) versum cum Smilace flores*
Praetereo dulcique animos novitate tenebo."

vid. Heins. et Burm. ad fast. IV, 20. al. *Detinuit.* — *numerosus,* propter splendidam in numeris vim summamque elegantiam et iucunditatem.

v. 50. *ferit.* pulsat. Valer. Fl. I, 139.

— — — *pulsatque chelyn post pocula Chiron.*

Virgilium vidi tantum: nec amara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego maiores, sic me coluere minores,
Notaque non tarde facta Thalia mea est.
Carmina cum primum populo iuvenilia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per Urbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem scripsi, sed quae vitiosa putavi,
Emendaturis ignibus ipse dedi.
Tum quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi,
Iratus studio carminibusque meis,
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.
Cum tamen hoc essem, minimoque accenderer igni,

---

cf. Virg. Aen. VI, 647. Theocr. XVIII, 35.
Οὐ μὰν οὐ κιθάραν τις ἐπίσταται ὧδε κροτῆσαι.
Carmina autem *ferire* est pulsando citharam edere. cf. Pind. Fgmt. inc. LXXXVI, 1. — *Ausonia*, Romana. vid. Bentl. ad Hor. IV, III, 23.

v. 51. *Virg. vidi tantum.* qui obiit a. U. 735. quum Ovidius vix XXV annos natus esset. — *amara Tib. fata.* praematura mors. vid. Amor. III, IX.

v. 56. *Thalia mea.* i. e. Musa. Virg. Eclog. VI, 2.
Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.
cf. Cul. v. 1. — v. 63. *cum fugerem.* fuga: exilium, Graecorum φεύγειν, φυγή. cf. Pont. I, IX, 42. IV, V, 33.

v. 67. *Quum tamen hoc essem.* hoc corde, ea qua dixi animi

Nomine sub nostro fabula nulla fuit.
Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor
Est data quae tempus perbreve nupta fuit.
Illi successit, quamvis sine crimine coniux;
Non tamen in nostro firma futura toro.
Ultima, quae mecum seros permansit in annos,
Sustinuit coniux exsulis esse viri.
Filia me mea bis prima foecunda iuventa,
Sed non ex uno coniuge, fecit avum.
Et iam complerat genitor sua fata, novemque
Addiderat lustris altera lustra novem.
Non aliter flevi, quam me fleturus ademtum

---

indole, nulli tamen de me rumores urbi innotuere. v. 68. *fabula*, rumor cuius pudeat. Amor. III, 1, 21.

Fabula, *nec sentis*, *tota iactaris in urbe*.

Tib. I, IV, 83.

Parce puer, *quaeso*, *ne turpis* fabula *fiam*.

Plura vide apud Mitscherl. ad Horat. Epod. XI, 8.

v. 77. *complerat sua fata.* ad finem curriculi pervenerat. Tib. I, III, 53.

Quod si fatales iam nunc explevimus *annos*.

cf. Trist. III, III, 29. Horat. Epist. I, XX, 27. Iliad IV, 170.

αἴ κε θάνῃς καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο.

Apoll. Rhod. I, 1322 sq.

πέπρωται Μυσοῖσι περικλεὲς ἄστυ καμόντα
μοῖραν ἀναπλήσειν Χαλύβων ἐν ἀπείρονι γαίῃ.

v. 78. *lustrum* quinque annorum spatium a lustratione sive expiatione, quinto quoque anno habita, appellabatur. cf. Drakenb. ad Liv. XXIX, 37. XXX, 3.

v. 79. *flevi.* non solum de dolore accipiendum, sed more flendi sive deflendi in funeribus. Virg. Aen. VI, 220.

— — *Tum membra toro* defleta *reponunt*.

Terent. Andr. I, I, 102.

In ignem imposita est, fletur.

vid. Broukh. ad Tib. I, III, 8. Bentl. ad Hor. Epod. XVII, 11.

Ille fuit: matri proxima iusta tuli.
Felices ambo tempestiveque sepultos,
 Ante diem poenae quod periere meae!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
 Sum miser, et de me quod doluere nihil!
Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restat,
 Et gracilis structos effugit umbra rogos:
Fama parentales si vos mea contigit umbrae,
 Et sunt in Stygio crimina nostra foro:

---

qui praeteriit locum prae caeteris laudandum. Iliados XXIII, 9.
Πάτροκλον κλαίωμεν, ὁ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. — —
— *ὣς ἔφαθ᾽, οἱ δ᾽ ᾤμωξαν ἀολλέες· ἦρχε δ᾽ Ἀχιλλεύς.*

v. 80. *justa.* exequias, ut ad hunc locum uberrime docuit Burm. scil. quoniam debebantur animis. Hor. II, VI, 23.

Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

Hinc fortasse explicanda *debita iura*, I, XXVIII, 32.

v. 85. *aliquid nisi.* pro praeter, praeterquam, ut apud Cic. Rosc. Am. XII. *quod inter omnes constat*, nisi *inter eos, qui ipsi insaniunt;* quamquam nostrum locum hoc esse duriorem non nego.

v. 86. *gracilis umbra.* tenuis, levis. Virg. Aen. VI, 292.

— — *tenues sine corpore vitae.*

et v. 702.

Par levibus ventis, voluerique simillima somno.

ex Odyss. XI, 207. *σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ.* Iliad. XXIII, 100.

— — *ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς*
ᾤχετο τετριγυῖα.

et Prop. IV, VII, 1.

Sunt aliquid Manes, letum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

v. 88. *Sunt in Stygio c. n. foro.* Innotuere coetibus animarum.

Scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est)
  Errorem iussae, non scelus, esse fugae.
Manibus id satis est. Ad vos studiosa revertor
  Pectora, qui vitae quaeritis acta meae.
Iam mihi canities, pulsis melioribus annis,
  Venerat, antiquas miscueratque comas,
Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva

---

v. 89. *Nec fas est:* *ἀδύνατον.* Art. am. III, 151.

Nec mihi tot positus numero comprendere fas est.

Hor. carm. IV, IV, 22. *Nec scire* fas est *omnia.* et I, XI, 1. *scire nefas*, ubi qui haec verba coniungunt, quod metri ratio suadet, errant, si tamen interpretantur *impium.* idem carm. I, XXIV, 20. *quidquid corrigere* est nefas. cf. Ovid. Met. II, 57. Tib. II, III, 46. Luculentissimus autem locus est Cic. Tim. II. *atque illum quasi parentem huius universitatis invenire difficile: et cum inveneris indicare in vulgus* nefas. ubi Plato p. 27 St. *καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.* Paullo inferius p. 30 ipse Plato dicit: *Θέμις δὲ οὔτ' ἦν, οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν το κάλλιστον.*

v. 95. sq. *Post* —— *meos equus.* Iam quinquaginta annos natus eram. — „Certamine Olympiaco illo, sic licet loqui libuerit, duodecies allata fuerant ista praemia: nam et quadrienniis absolutis redibat et relegatus est Noster annos iam natus quinquaginta, quippe cui Augusto nuper mortuo acta fuerat exuli quinquennis (ut ipse testatur IV, de Ponto 6 [v. 5.].) Olympias in alteriusque iam lustri tempus transibat. Augustus vero Nasone non nisi viginti annis maior, septuagesimum et sextum natalem propemodum assecutus decessit. Vox credo *πενταετηρίς* aliaque non absone loquendi genera et Ovidium et Martialem [VII, 83, 6. cf. Stat. Silv. III, 3.] in fraudem induxerunt, ut quinquennalem illam celebritatem ludorum, uti vocat Cicero [de Orat. III, 32.] quinquenniis exactis fieri crederent, incuria saltem poëtica adblandiente spatiorum similitudine lustris suis Olympiadas anno licet longioribus exaequarent.“ AUCT. ELECT. ETON. — *Pisaea oliva*, a Pisa urbe Olympiae vicina. Pind. Olymp. IV, 19. *ἐλαίᾳ*

Abstulerat decies praemia victor equus:
Cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
Quaerere me laesi Principis ira iubet.
Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
Indicio non est testificanda meo.
Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes?

στεφανωθεὶς Πισατίδι. erat enim oliva *στέφανος ἀρετᾶς,* cf. Schol. ad Pind. Olymp. III, 24.

v. 96. *victor equus.* Ita coni. Bentl. primus dedit Burm. al. *eques.* „Non enim equites] in Olympico certamine coronatos, sed equos legimus: quos ideo magno pretio et parabant et impensis ingentibus exercebant domi et alebant, mittebantque deinde in sacra certamina. Ita apud Iustinum XII, 16. Philippi equi in certamine Olympico domino suo, non sessori aut agitatori victoriam pepererunt. et hinc Horat. l. IV, od. 2.

Sive quos Elea domum reducit
Palma coelestes, pugilemve equumve
Dicit.

et Art. poët. 84.

Et pugilem victorem et equum certamine primum.

hinc *στεφανηφόροι*] Theocrito Idyl. XVI, 46 equi dicuntur et Plutarch. Symp. II. quaest. 4, solum equum ex omnibus animalibus in partem certaminis et coronae venire ait. etc." Burm. cf. Bentl. ad Hor. IV, II, 17. Callim. Hymn. in Cer. v. 110.

καὶ τὸν ἀεθλοφόρον καὶ τὸν πολεμήϊον ἵππον.

Pind. fgmt. inc. LXXXIX. *ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων τιμαὶ καὶ στέφανοι.* Virg. Georg. I, 59.

— — *Eliadum palmas Epirus equarum.*

v. 97. *ad laeva.* ingredienti in laevo littore sitos. Fast. V, 257.

— — *et laeva Propontidos intrat.*

Pont. II, II, 2.

Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.

Sed subest simul sensus infaustae, invisae terrae. cf. I, VIII, 39.

v. 101. *comitum nefas.* perfidiam. vid. IV, I, 66. Pont. II,

Ipsa multa tuli non leviora fuga.
Indignata malis mens est succumbere, seque
Praestitit invictam viribus usa suis;
Oblitusque togae, ductaeque per otia vitae,
Insolita capio temporis arma manu.
Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter
Occultum stellae conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

VII, 61 sq. — v. 106. *temporis arma.* Constantiam et fortitudinem animi intellexit Kleinius, novissimus horum librorum editor. At ea neque manu capiuntur arma, nec cur insolita haec dicatur ulla est ratio. Quum toties militi sibi vivendum esse queratur poëta, quidni vera intelligamus arma, quae capere tempore cogitur. Pont. I, VIII, 5.

Vivimus assiduis expertes pacis in armis,
Dira pharetrato bella movente Geta.
Deque tot expulsis sum miles in exsule solus.

Insolita autem manu, quia antea mollem egerat vitam. vid. III, II, 9 sq. V, III, 9.

v. 107. tot — quot. lib. I, V, 47.

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

Amat enim nimium quantum Noster Hyperbolen. cf. IV, I, 55. V, II, 23. Metam. XI, 614. Quae quantum distant ab Homeri simplicitate: ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ. — v. 108. *inter occultum conspicuumque.* i. e. arcticum et antarcticum.

v. 109. Tandem tetigi vicinam Getis Sarmatiam. *longis erroribus.* longo itinere, nec eo tranquillo. vid. lib. I, II. ita Metam. I, 582. dixit *fessas erroribus carinas.*

v. 110. *pharetrati* a saggittarum usu, qua illi populi arte pollebant. cf. Pont. I, VIII, 6. Sic *pharetrati Geloni* apud Horat. III, IV, 35. et *Medi pharetra decori,* II, XVI, 6. cf. Virg. Georg. II, 290.

Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
Tristia, quo possum carmine fata levo.
Quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,
Sic tamen absumo decipioque diem.
Ergo quod vivo, durisque laboribus obsto,
Nec me sollicitae taedia lucis habent,
Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia praebes,
Tu curae requies, tu medicina mali.
Tu dux, tu comes es; tu nos abducis ab Istro,
In medioque mihi das Helicone locum.
Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare Fama solet.
Nec, qui detrectat praesentia, livor iniquo
Ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum saecula nostra poëtas,
Non fuit ingenio Fama maligna meo.
Cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis
Dicor, et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum praesagia veri,

---

v. 114. *Decipioque diem*, ut quam longus sit non sentiam. IV, I, 13.

Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur *ancillae* decipiturque *labor*.

cf. V, VII, 39. Bentl. ad Hor. carm. II, XIII, 38.

v. 121. *ab exequiis*. i. q. Pont. IV, XVI, 3. *post cineres*. Prop. etiam III, I, 24.

Majus ab exequiis *nomen in ora venit*.

cf. Prop. III, XXIII, 26. Ovid. Met. VI, 63. Heroid. XVIII, v. 69. Eandem vim habet Graecorum ἀπό.

Protinus, ut moriar, non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
Iure tibi grates, candide lector, ago.

Trist. I, III.

Cum subit illius tristissima noctis imago,
Quae mihi supremum tempus in Urbe fuit,
Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar
Finibus extremae iusserat Ausoniae.
Nec spatium, nec mens fuerant satis apta paranti,
Torpuerant longa pectora nostra mora.

---

v. 130. *ut moriar.* Hor. carm. III, XXX, 6.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam.
ubi vid. Mitscherl.

v. 1. Carmine hoc egregio, ac caeteris facile omnibus anteponendo discessum e domo sua suorumque coetu narrat, quare ante alteram huius libri elegiam collocandum censui, qua in ipso itinere tempestatibus paene oppressum poëtam videmus. — *subit.* quum recordor noctis. subire dicitur imago (mentem) uti alias cogitatio, cura et sim. — v. 2. *quae mihi.* al. quod. vid. Zumpt. Lat. Gr. §. 69. No. 4. Anm.

v. 3. *Cum repeto.* ἀναμιμνήσκομαι, ἀναλογίζομαι. *Reminisci enim est, cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitantur et cogitando* repetuntur. Varr. l. l. V, 6.

v. 5. *lux aderat.* Frustra Burm. e tribus codd. dedit nox; neque enim iussum noctu abire Ovidium verisimile, nec adeo profectus nocte, qui v. 72. ipse dicit: *coelo nitidissimus alto — Lucifer ortus erat.* cf. v. 50. ubi *ultima iussae fugae nox* est: ante iussam fugam.

v. 7. *paranti.* sc. iter. al. *parandi* sive *paratu*, quod non

Non mihi servorum, comitis non cura legendi,
Non aptae profugo vestis opisve fuit.
Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus
Vivit, et est vitae nescius ipse suae.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluere mei;
Alloquor extremum moestos abiturus amicos,
Qui modo de multis unus et alter erant.
Uxor amans flentem, flens acrius ipsa, tenebat,
Imbre per indignas usque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,
Nec poterat fati certior esse mei.

---

displicet. — v. 9. *torpuerant — mora.* prae animi torpore plurimum temporis desidia triveram.

v. 10. Licitum fuisse hoc Ovidio videtur, non exsuli, sed relegato, qua leviore poena se adfectum esse, pluribus locis gaudet. cf. V, XI, 9. 21. et H, 137.

Quippe relegatus, *non* exsul *dicor in illo.*

scil. edicto. Secundum Festum autem *Relegati dicti*, *quibus* ignominiae aut poenae causa necesse fuit ab urbe Roma, aliove quo loco abesse lege, SCto, aut edicto magistratus.

v. 13. *hanc nubem.* caliginem menti offusam, i. e. stuporem, haud secus apud Valer. Flacc. III, 65. est: *iniqui* nubes meri.

v. 19. *Diversa.* procul aberat. Pont. I, VI, 1. *nam te* diversa *tenebat terra.* Neque dissimiliter Virg. Aen. IV, 163. dixit: diversa *per agros tecta.* i. e. hic illic sita, locis distantia. — *sub oris.* in terris. ut apud Horat. I, XII, 56.

Sive subiectos orientis oris
Seras Indos.

vid. Burm. ad Metam. I, 689.

Quocunque adspiceres, luctus gemitusque sonabant,
Formaque non taciti funeris intus erat.
Femina, virque meo, pueri quoque funere moerent,
Inque domo lacrimas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvis grandibus uti,
Haec facies Troiae, cum caperetur, erat.
Iamque quiescebant voces hominumque canumque,
Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
Quae nostro frustra iuncta fuere Lari,
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Iamque oculis nunquam templa videnda meis,
Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,

---

v. 21. 22. *Quocunque adspiceres.* Alii *quodcunque* quo ἀναχόλουθος fit oratio. Adspicére absque casu est I, II, 23.

Quocunque adspicias, nihil est, nisi pontus et aër.

ubi vid. Heins. Plaut. Amphitr. II, II, 146. *Age, adspice huc sis nunc iam.* — *non taciti.* vid. ad sup. eleg. v. 79.

v. 29. *ab hac.* deinde oculos convertens in Capitolium. An praepositioni hic sit vis causalis, ut sit: atque eius luce collustrata cernens Capitolia, vehementer dubito. Habet enim hanc vim ut Graecorum ὑπό tum demum, quum verbis iungitur, quibus passivus subest sensus, ut hoc ipsum: cadere ab aliquo, (θανεῖν ὑπό τινος, i. e. occidi.) lucere, vapulare, al. Ita Nost. Art. am. II, 208. *ab hoste perire.* Metam. II, 601. *fervere ab ira.* Trist. IV, V, 3. *revivīscere ab alloquiis.* — v. 30. *iuncta Lari.* vicina domui.

v. 32. *Iamque nunquam.* nunquam posthac; brevi relinquenda in omne tempus. Iunctum enim futuro *iam* indicat id, quod proxime instat (gleich, bald). Ter. Eun. IV, IV, 58. Thais iam aderit. Horat. carm. I, IV, 16. Iam te premet nox. ut Graecum ἤδη etiam signif. *statim,* Odyss. I, 303.

αὐτὰρ ἐγὼν ἐπὶ νῆα θοὴν κατελεύσομαι ἤδη.

v. 33. *urbs alta.* frequens urbium propter situm multarum

Este salutati tempus in omne mihi.
Et quamquam sero clipeum post vulnera sumo,
  Attamen hanc odiis exonerate fugam,
Coelestique viro, quis me deceperit error,
  Dicite; pro culpa ne scelus esse putet.
Ut quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor,
  Placato possum non miser esse deo.
Hac prece adoravi superos ego: pluribus uxor,
  Singultu medios praepediente sonos,
Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis,
  Contigit exstinctos ore tremente focos.

---

epitheton. Hor. I, XVI, 18. *irae* altis urbibus *ultimae stetere causae* etc. Graecum *αἰπὺ πτολίεθρον*. Quare male huc traxere locos, quibus Roma caput supra alias urbes extulisse dicitur.

v. 35. *clipeum post vulnera. μετὰ πόλεμον μηχανάς*, de iis, qui re iam confecta et deplorata remedium quaerunt.

v. 37. *Coelesti viro.* Augusto, cui *Divi* nomen tribuere atque aras sacrare non puduit illius aevi homines. cf. Virg. Georg. I, 24 sq. cum animadv. Burmanni. Dio Cass. LI, 19. *ἐν τοῖς συσσιτίοις, οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν.* et cap. seq. *ἐς τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι.* cf. Suet. Aug. LIX. Horat. Epist. II, I, 15. — *errare. ἁμαρτάνειν.* nostrum fehlen. *culpa* scelere levior, ut apud nos Vergehen et Verbrechen.

v. 42. *praepediente.* al. impediente. Verum ita est in Plaut. Cas. III, V, 25. timor praepedit dicta linguae. vid. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 1. —

v. 43 sq. De Laribus vid. Fast. II, 599 sqq. Müller, De diis Rom. Laribus et Penatibus. Hafn. 1811. — v. 44. *exstinctos focos.* prae dolore puto et perturbatione nemine curante; focus enim igne lucens laetitiae est signum. vid. quae dixi ad Tib. I, III, p. 187. De igne in exsilium ituris exstincto cogitavit Heinsius; sed in Ovidio relegato aqua et igni interdictum fuerit, dubitari potest.

Multaque in aversos effudit verba Penates,
Pro deplorato non valitura viro.
Iamque morae spatium nox praecipitata negabat,
Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
Quid facerem? blando patriae retinebar amore;
Ultima sed iussae nox erat illa fugae.
Ah quoties aliquo dixi properante, quid urges?
Vel quo festines ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, propositae quae foret apta viae.
Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Saepe, vale dicto, rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

---

v. 45. *in aversos Pen.* iratos, qui nos destituere. Brutus ad Cic. ep. XVI. *non existimo tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani.* Horat. carm. III, XXIII, 18.

Mollibit aversos Penates
farre pio et saliente mica.

v. 47. 48. *nox praecipitata.* ad auroram vergens. Virg. Aen. II, 8.

— — — et iam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.

Versa ab axe suo Arctos. quo significatur auroram fuisse proximam. *Versam* Arcton propterea dici puto, quod mane in contrariam coeli partem vergit. Quae enim vesperi attollens caput et quasi adscendens cernebatur, ita mane coelo circumvolvente est versa, ut praeceps feratur et in contrariam coeli plagam vergat. Saepius hac in re pro *verti* dicitur *flecti.* Graecorum *στρέφεσθαι.* Anacr. in carmine notissimo: *Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις, στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου.* Plura qui desiderat, adeat Heinsium ad Valer. Fl. VII, 457. — *Parrhasis* ut eleg. IV, 1. Erymanthis, i. e. Arcas sive Arcadia ut est apud Senec. Oed. v. 477. quia scilicet Callisto Lycaonis Arcadiae regis filia dicebatur.

v. 57. 58. *vale dicto.* dictum puto ut *supremum vale.* Metam.

Saepe eadem mandata dedi, meque ipse fefelli,
  Respiciens oculis pignora cara meis.
Denique quid propero? Scythia est, quo mittimur, inquam,
  Roma relinquenda est, utraque iusta mora.
Uxor in aeternum vivo mihi viva negatur,
  Et domus, et fidae dulcia membra domus.
Quosque ego dilexi fraterno more sodales:
  O mihi Thesea pectora iuncta fide.
Dum licet amplectar: nunquam fortasse licebit
  Amplius: in lucro est, quae datur hora mihi.
Nec mora, sermonis verba imperfecta relinquo,
  Amplectens animo proxima quaeque meo.
Dum loquor et flemus, coelo nitidissimus alto,
  Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.

X, 62. et similia. Nos: das Lebewohl. — *summa oscula* longe alio sensu quam Virg. Aen. XII, 434. sunt ultima, suprema. vid. Heins. ad Heroid. X, 101. Virg. Aen. II, 324.

Venit summa *dies et ineluctabile fatum.*

Horat. Epist. I, I, 1.

Prima dicte mihi, summa *dicende Camoena.*

v. 65–70. *fraterno more.* ut fratres, quasi fratres essent. cf. I, I, 100. *Achilleo more.* Hor. Epist. I, XVIII, 62.

— — — *Actia pugna*

Te duce per pueros hostili more *refertur.*

Thesea fide. Theseus et Pirithous inter nobilissima fidae amicitiae apud veteres erant exempla. — *in lucro esse* dicitur quidquid praeter exspectationem evenit boni. Hor. carm. I, IX, 13.

Quem sors dierum cunque dabit, lucro adpone.

v. 70. *complectens animo* etc. al. *amplectens*; fortasse rectius. Coniunge autem: *proxima animo.*

v. 71. Stulte quidam in verbis: *Dum loquor et flemus* numeri enallagen deprehendere sibi visi sunt. Tu *loquor* refer ad Nasonem, *flemus* simul ad caeteros.

Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam,
Et pars abrumpi corporis visa suo est.
Sic Mettus doluit tunc, cum in contraria versus
Ultores habuit proditionis equos.
Tum vero exoritur clamor, gemitusque meorum,
Et feriunt moestae pectora nuda manus.
Tum vero conjux humeris abeuntis inhaerens,
Miscuit haec lacrimis tristia dicta meis:
Non potes avelli, simul hinc, simul ibimus, inquit,
Te sequar, et conjux exsulis exsul ero.
Et mihi facta via est: et me capit ultima tellus.
Accedam profugae sarcina parva rati.
Te jubet e patria discedere Caesaris ira,
Me pietas: pietas haec mihi Caesar erit.
Talia tentabat, sic et tentaverat ante,
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
Squalidus immissis hirta per ora comis.

---

v. 75. De Metto sive Metio vide Drakenb. ad Liv. I, 23. et Heyn. ad Virg. VIII, 642. — coniecit quidam *versos*, non male. Sed pro Metto plurimi vett. ineptissime habent Priamum.

v. 81-88. *Non potes avelli*, i. e. non sinam. — *ultima tellus*, ut apud Virg. Georg. I, 30. *ultima Thule*. quam explicationem qui ineptam vocant, dum Italiam intelligunt, ipsi ineptiunt. — v. 88. *manus dedit*. dissuaderi sibi sivit. vid. Bos. et Stav. ad Nep. Hamilc. I, 4. Oudend. ad Caes. B. G. V, 31. — *utilitate*. vid. vv. 99-102.

v. 89. *Egredior*, sive potius, quamquam vivus (*sine funere*) efferor; omnibus scil. magno luctu me prosequentibus, ut funus procedere videatur. cf. I, VIII, 14. — *ferri* non pro efferri dictum,

Illa dolore amens tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.
Utque resurrexit, foedatis pulvere turpi
Crinibus, et gelida membra levavit humo:
Se modo, desertos modo deplorasse Penates,
Nomen et erepti saepe vocasse viri.
Nec gemuisse minus, quam si nataeve meumve
Vidisset structos corpus habere rogos.
Et voluisse mori et moriendo ponere sensus,
Respectuque tamen non posuisse mei.
Vivat, et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Vivat et auxilio sublevet usque suo.

---

quod, si recte sentio, neque fit, neque fieri potest; sed repetenda e verbo egredior praepositio.

v. 91. *tenebris obortis.* Viribus animoque deficiens. Heroid. XIII, 23. *tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu.* Art. am. II, 87. *Nox oculis venit oborta metu.* Homericum: σκότος ὄσσε κάλυψεν.

v. 93. *foedatis pulvere crinibus.* Quod inter calamitates habebatur. Sic apud Virg. Aen. XII, 99. Turnus optat *foedare in pulvere crines* Aeneae. et Paridi ap. Hor. carm. I, XV, 20. canit Nereus: *crines pulvere collines*, expressum ex Hom. Iliad. III, 55. ὅτ᾽ ἐν κονίῃσι μιγείης.

v. 100. *non posuisse.* al. *non periisse.* Postremos autem versus cum magna criticorum parte corruptos habeo. Certe alterum *vivat* ferri non potest. Sed qui in melius restitui possint non video, nec infelices aliorum curas commemorare refert.

Trist. I, II.

Di maris et coeli, (quid enim nisi vota supersunt?)
Solvere quassatae parcite membra ratis:
Neve, precor, magni subscribite Caesaris irae,
Saepe premente Deo fert Deus alter opem.
Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo,
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Aenean propior Saturnia Turno;

---

v. 1. Tempestate in itinere coorta, ut naufragium pertimesceret, implorantem se fingit poëta deos, ne hoc leto occumbat. — *supersunt.* ubi exspectavetis *superest.* Ita Metam. XIV, 396.

Nec quidquam antiqui Pico nisi nomina restant.

et Trist. IV, X, 85. in quibusdam est:

Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant.

quamquam hic durius videri potest. Priorum enim locorum sensus est: sola nomina restant. — v. 2. *parcite solvere.* *περιφραστικῶς* pro: ne solvite. Horat III, XXVIII, 7. *parcis deripere horreo?* Tib. III, V, 6. *immerito iuveni parce nocere.* Graecorum *φείδεσθαι.* Xenoph. Cyrop. I, VI, 35. *ὦ πάτερ, μὴ φείδου, εἴ τι ἔχεις διδάσκειν.* — v. 2. *membra ratis* sunt partes quibus navis constat. — v. 3. *subscribite.* i. e. ratam habete usu frequentissimo. Est autem vox forensis.

v. 5 sqq. Exemplis comprobat factum esse, ut dii alii aliī parti faverent. Vulcanum e Graecorum stetisse partibus e Luciano (Dial. Xanthi et Maris) evincit Burmannus. At hoc novit quicunque Iliadem legit, cuius cf. lib. XVIII. XX, 32 sqq. XXI, 342 sqq. — *aequa.* — *iniqua.* amica — inimica. Cic. ad Fam. III, VI. *Ego ut te mihi amicissimum esse et aequi et iniqui intelligant curabo.* Noster: Pont. III, I, 38. *quis enim mihi tam sit iniquus,* et Fast. V, 299.

Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos.

v. 7. 8. *propior Turno.* quoniam ex eius partibus stabat, cum-

Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Saepe ferox cautum petiit Neptunus Ulixem:
Eripuit patruo saepe Minerva suo.
Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
Quis vetat irato numen adesse Deo?
Verba miser frustra non proficientia perdo:
Ipsa graves spargunt ora loquentis aquae.
Terribilisque Notus iactat mea dicta; precesque,
Ad quos mittuntur, non sinit ire Deos.
Ergo idem venti, ne causa laedar in una,
Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt!
Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.

---

que tuebatur. — *Veneris numine.* ut X, 12. *Palladio numine* i. e. tutela. art am. I, 203.

Marsque pater, Caesarque pater date numen *eunti.*

v. 9. 10. *cautum.* i. e. prudentem. *πολυμῆτιν, ποικιλόφρονα.* — *petiit:* opprimere conatus est. (cf. Cic. I. Catil. V.) sed tamen Minerva eripuit Neptuno, quamquam patruo. Odyss. VI, 329. *αἴδετο γάρ ῥα πατροκασίγνητον.*

v. 11. *Et nobis.* Quidni mihi etiam, licet illis (Turno, Ulixe aliisque) longe inferiori numinis alicuius contingat tutela? Similiter Paris Iliad. III, 440. *παρὰ γὰρ θεοί εἰσι καὶ ἡμῖν.* — *distare*, *διαφέρειν* ut centies apud Horatium.

v. 17. 18. *ne causa laedar in una.* ut pluribus simul cumuler malis. — *vela* — navem et vota *ferunt*, auferunt. Hor. carm. I, XXVI, 2 sqq. *tristitiam et metum tradam protervis in mare Creticum portare ventis.* ubi vid. Mitscherl. Odyss. VIII, 408 sq.

Χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε, ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

v. 20. *Iam iam tacturos.* Iterari solet *iam*, quum proxime

Quantae diducto subsidunt aequore valles!
Iam iam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque adspicio, nihil est nisi pontus et aër;
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti,
Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest;
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.

---

aliquid instare indicatur. Horat. Epod. II, 68. *iam iam futurus rusticus.* cf. carm. II, XX, 9. maxime vero ubi imminens expavescimus periculum, ut nostro fere in loco. Hinc vox est supplicis vel timidi hominis. cf. Ter. Adelph. V, III, 67. Horat. Epod. XVII, 1.

> Iam iam *efficaci do manus scientiae*
> ... *Supplex.*

v. 27. *purpureo ab ortu.* aurora scil. rubente. — Zephyrus, quem ut leniorem ventum verisque comitem celebrant poëtae, eorumque adeo princeps. Odyss. IV, 565 sqq. ubi de Elysio:

> *Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος*
> *ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας*
> *Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.*

nihilominus apud eosdem pro vehementissimo saepe est. Od. V, 295. *Ζέφυρός τε δυσαής.* cf. Virg. Aen. II, 417. — v. 28. *sero a vespere.* haec enim Zephyri domus (Virg. Georg. I, 371.) Euri oriens.

v. 29. 30. *sicca ab Arcto.* metuente aequore tingui, ut est apud Virg. Georg. I, 245. cf. Tr. IV, III, 2. — *bacchari.* i. q. furere. vid. Mitscherl. ad Hor. I, XXV, 11. Sophocl. Antig. v. 136. de Capaneo. *ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων.* — *adversa fronte.* sc. Boreae. — *proelia.* Hor. carm. I, IX, 9.

> *Permitte divis caetera qui simul*
> *Stravere ventos aequore fervido*
> Deproeliantes etc.

Od. V. 295. [illegible]

Rector in incerto est; nec quid fugiatve petatve,
Invenit; ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis:
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus; frustraque precanti
Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud, quam me dolet exsule coniux;
Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
Nescit in immenso iactari corpora ponto;
Nescit agi ventis; nescit adesse necem.
Di bene, quod non sum mecum conscendere passus:
Ne mihi mors misero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certe parte superstes ero.
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma!
Quantus ab aetherio personat axe fragor!

---

v. 33. *Scilicet* rem certam significat. non dubium est quin. nostrum fere: es ist nicht anders. Horat. carm. II, XIV, 9. *unda* scilicet *omnibus enaviganda.* — Heinsius ex uno cod. *nec spes nisi vana salutis.*

v. 41. *Di bene.* Dii boni, quam bene feci. Claud. XV, 546.

Di bene, *quod tantis interlabentibus annis*
Servati.

Quae autem Heinsius comparavit: *Dii melius*, *Dii meliora* plane sunt diversa. sunt enim implorantis, hoc gratias agentis. — v. 43. *ut pereum.* i. e. etiamsi: nostrum wie auch immer, gesetzt auch dafs. vid. Ramsh. Lat. Gr. §. 191. p. 595 sqq. infr. v. 71. Pont. IV, V, 7.

Luce minus decima dominam venietis in urbem,
Ut *festinatum non faciatis iter.*

v. 46. *ab aetherio axe,* ab aethere, coelo. Axis et polus saepe

Nec levius tabulae laterum feriuntur ab undis,
Quam grave balistae moenia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes:
Posterior nono est undecimoque prior.
Nec letum timeo; genus est miserabile leti:
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Est aliquid, fatove suo, ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo;
Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra,
Et non aequoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor, immeritos cur mea poena trahit?

---

apud poëtas pro coelo. Virg. Aen. II, 512. *nudo sub aetheris axe.* VIII, 28. *gelidi sub aetheris axe.* — v. 48. De balista vid. Ammian. Marcell. XXIII, 4. Nast. Kriegsalterth. p. 110 sqq.

v. 50. Intelligit *fluctum decumanum*, i. e. maximum. quam significationem unde traxerit haec vox, nemo hodie facile eruet. Mira autem et vix fide digna sunt quae tradit Festus: *Decumana ova dicuntur, et decumani fluctus, quia sunt magna. nam et ovum decimum maius nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur.* — Caeterum vide poëtae loquacitatem in re tanta.

v. 54. *In solida humo.* In aliis codd. est *solita*, quod ut probaret olim Heinsium adduxere loci Trist. IV, III, 45 sq. Virg. Aen. VIII, 213. Sed audi Burmannum: „Recte correxit priores curas vir ill. non enim hic tam sollicitus erat Naso de morte in patria obeunda, quam ut modo naufragio vitato ubicunque in terra obiret; etiam in Scythica, vide v. 62. et qui ferro cadunt id est bello plerumque extra patriam mortem obeunt. Solida vero terra passim Nostro dicitur vid. II Fast. 648. III, 442. VI, 404. et solidus orbis I Metam. 31.“ Aliter solitam terram interpretatur Heyne ad Virg. l. l.

v. 58. *immeritos.* Nobilissimus qui eandem refert sententiam locus est Aesch. Sept. adv. Theb. v. 605 sqq.

Pro Superi, viridesque Dei, quibus aequora curae,
  Utraque iam vestras sistite turba minas!
Quamque dedit vitam mitissima Caesaris ira,
  Hanc sinite infelix in loca iussa feram.
Si, quam promerui poenam, me pendere vultis,
  Culpa mea est, ipso judice, morte minor.
Mittere me Stygias si iam voluisset ad undas
  Caesar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
  Copia; quodque dedit, cum volet, ipse feret.
Vos modo, quos nullo certe puto crimine laesos,
  Contenti nostris, Di, precor, este malis.
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
  Quod periit, salvum iam caput esse potest.

ἐν παντὶ πράγει ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν. —
ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ
ναύτῃσι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ
ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει.

Alia vide ap. Ian. et Mitscherl. ad Hor. III, II, 29 sq.

v. 59. *Superi.* Coelites opponuntur viridibus i. e. marinis colore ab ipso mari in eos translato. cf. Stat. Silv. I, V, 16. Hinc *virides Nereidum comae* Hor. III, XXVIII, 10. et *Caeruleus Proteus.* Virg. Georg. IV, 388. Hor. Epod. XIII, 16.

v. 65–68. *Si iam voluisset.* Iam adiectum acuit coniunctionis vim. nos: wenn er gewollt hätte, wenn er ja gew. h. vid. Burm. ad art. am. II, 597. — *non invidiosam* copiam puto esse largam, plenam, ut apud Graecos *ἄφθονος, ἀφθονία.* Mart. III, LXV, ult. (*Quid si tota dares illa* (oscula) *sine invidia*, i. e. *ἀφθόνως.*

v. 72. *Quod periit.* Perire dicuntur non solum qui moriuntur, sed etiam qui summa premuntur calamitate. Hinc *perii!* saepissime apud comicos interiectionis loco, heu! me miserum! —

Ut mare considat, ventisque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis; num minus exsul ero?
Non ego divitias avidus sine fine parandi
Latum mutandis mercibus aequor aro:
Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas:
Oppida non Asiae, non loca visa prius.
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile iocose, tuas.
Quod faciles opto ventos (quis credere possit?)
Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam laevi fera littora Ponti,
Quodque sit a patria tam fuga tarda queror.

---

caput pro ipso homine. Ter. Andr. II, III, 34. *ridiculum caput.* Eun. III, III, 25. *capitulum lepidissimum.* Senec. Med. 465. *ingratum caput.* ita *ingenium* Hor. Epist. II, II, 81. Saepius Graeci *φίλη κεφαλή, φίλον κάρα.* — v. 73. *venti ferentes.* *οὖρος.* Odyss. X, 25.

αὐτὰρ ἐμοὶ πνοιὴν Ζεφύρου προέηκεν ἀῆναι
ὄφρα φέροι νῆάς τε καὶ αὐτούς.

v. 75. *Non ego — aro.* Non lucri, nec voluptatis causa hoc iter facio. modestissima sunt mea vota. Sarmatiam peto. — v. 77. *Athenas,* quas studiorum causa olim petii, quod solitos fuisse fere, qui altioris eruditionis cupidi essent, notum vel ex Cicerone init. Off. et Horat. Epist. II, II, 43. — v. 78. *visa prius, πρότερον,* i. e. olim, quum Macro duce per Asiam minorem iter faceret. vid. Pont. II, X, 21. — de adv. *prius* cf. Cat. IV, 25. Hinc priores, *πρότεροι* pro maioribus. — v. 80. Nilum iocosum dici putant propter Alexandrinorum hilares mores, lautamque vitam. Haud scio an non recte. Sed ea huc nihil attinent. *Delicias* Nili intellige ipsam Alexandriam, Aegypti decus.

v. 83. *Obligor.* „Nimirum votis, quae pro felici appulsu ad Scythicam terram suscipio. Sic *obligatam dapem reddere* Hor. II. od. VII. et *obligare caput votis* II. od. VIII." Burm. —

Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,
  Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus;
  Pronaque sint nostrae numina vestra rati:
Seu magis odistis, iussae me advertite terrae.
  Supplicii pars est in regione mei.
Ferte (quid hic facio?) rapidi mea carbasa venti.
  Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Caesar: quid, quem fugat ille, tenetis?
  Adspiciat vultus Pontica terra meos.
Et iubet, et merui; nec, quae damnaverit ille,
  Crimina defendi fasve piumve puto.
Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt;
  A culpa facinus scitis abesse mea.
Immo ita; vos scitis, si me meus abstulit error,

---

v. 85 sq. *nescio quo in orbe.* - in qua terrae parte cf. Fast. III, 466. Iuven. II, 108.

Quod nec Assyriaco pharetrata Samiramis orbe (fecit.)

v. 86. *Exilem viam* interpretantur brevem et compendiosam, novo et insolente huius vocabuli usu. Quod quum intellexisset Burmannus, legendum coniecit: *exsilio facio.* Verum sibi quidem viam facere poëta dici potuit, non exsilio. nec propter numerum placet.

v. 89. *Seu magis odistis.* Sive potius odio me prosequimini, nihil est, quo melius iram exercere possitis, quam si in Scythiam me mittatis. *magis* pro *potius.* Virg. Eccl. I, 11. *Non equidem invideo, miror* magis. vid. Burm. ad Grat. Cyneg. v. 90. — *Supplicii pars in regione.* propter coeli iniquitatem et incolarum barbariem. cf. Trist. III, VIII, 26. Pont. III, I, 9 sq.

v. 96. *fasve piumve.* Burm. ex uno cod. dedit *iusve piumve,* atque ita Plaut. Cistell. I, I, 22. *iusque fasque est.* i. e. per humana et divina iura licet. Sed fas eodem hic sensu dicitur quo IV, X, 89. — v. 99 sqq. *Imo,* cui falso affirmandi aut negandi vim

Stultaque mens nobis, non scelerata fuit:
Quamlibet e minimis, domui si favimus illi;
Si satis Augusti publica iussa mihi;
Hoc Duce si dixi felicia saecula; proque
Caesare tura, pius Caesaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
Sin minus; alta cadens obruat unda caput.
Fallor, an incipiunt gravidae vanescere nubes,
Victaque mutati frangitur ira maris?
Non casus, sed vos sub conditione vocati,
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

---

tribuunt, hic etiam ut ubique corrigit. Sensus est: quid dubitanter haec eloquor; certissimum est, vos scire. — *si me mens abst. err.* Solemnis obtestandi formula. Virg. Georg. I, 7.

Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista etc.

cf. Aen. IX, 406 sqq. Hor. carm. I, XXXII, 1. Iliad. I, 37 sqq.

— — — *εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα*
ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα κ. τ. ἑ.

cf. Odyss. IV, 763. IX, 529.

v. 102. *publica iussa.* Locus obscurus, quem alii aliter, saepius tamen coniectura, quam interpretatione tentarunt. Ego, quum publica opponantur privatis, quorum minor est auctoritas, hunc sensum putaverim esse: Si quaecunque iussit Augustus, ea ipsam rempublicam iubere putavi. — v. 103. *Si dixi.* Locum Metam. XII, 217. *Felicem* diximus *illa coniuge Pirithoum.* laudavit Heinsius. vid. Burm. ad Metam. VIII, 519. — v. 104. *pro Caesare Caesaribusque.* si diis sacra feci pro ipsius Augusti familiaeque salute.

v. 107. *fallor? an incipiunt etc.* Mirantis est et iis quae videt vix fidem habentis. Fast. II, 853.

Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo?

v. 109. *sub conditione,* ea scil. ut vera essent, quae de sua in Caesarem pietate iactaverat.

Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Saepe ferox cautum petiit Neptunus Ulixem:
Eripuit patruo saepe Minerva suo.
Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
Quis vetat irato numen adesse Deo?
Verba miser frustra non proficientia perdo:
Ipsa graves spargunt ora loquentis aquae.
Terribilisque Notus iactat mea dicta; precesque,
Ad quos mittuntur, non sinit ire Deos.
Ergo idem venti, ne causa laedar in una,
Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt!
Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.

---

que tuebatur. — *Veneris numine.* ut X, 12. *Palladio numine* i. e. tutela. art am. I, 203.

Marsque pater, Caesarque pater date numen *eunti.*

v. 9. 10. *cautum.* i. e. prudentem. *πολυμῆτιν, ποικιλόφρονα.* — *petiit:* opprimere conatus est. (cf. Cic. I. Catil. V.) sed tamen Minerva eripuit Neptuno, quamquam patruo. Odyss. VI, 329. *αἴδετο γάρ ῥα πατροκασίγνητον.*

v. 11. *Et nobis.* Quidni mihi etiam, licet illis (Turno, Ulixe aliisque) longe inferiori numinis alicuius contingat tutela? Similiter Paris Iliad. III, 440. *παρὰ γὰρ θεοί εἰσι καὶ ἡμῖν.* — *distare*, *διαφέρειν* ut centies apud Horatium.

v. 17. 18. *ne causa laedar in una.* ut pluribus simul cumuler malis. — *vela* — navem et vota *ferunt*, auferunt. Hor. carm. I, XXVI, 2 sqq. *tristitiam et metum tradam protervis in mare Creticum portare ventis.* ubi vid. Mitscherl. Odyss. VIII, 408 sq.

Χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε, ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

v. 20. *Iam iam tacturos.* Iterari solet *iam*, quum proxime

Quantae diducto subsidunt aequore valles!
  Iam iam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque adspicio, nihil est nisi pontus et aër;
  Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti,
  Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;
  Nunc Zephyrus sero vespere missus adest;
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto;
  Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.

---

aliquid instare indicatur. Horat. Epod. II, 68. *iam iam futurus rusticus.* cf. carm. II, XX, 9. maxime vero ubi imminens expavescimus periculum, ut nostro fere in loco. Hinc vox est supplicis vel timidi hominis. cf. Ter. Adelph. V, III, 67. Horat. Epod. XVII, 1.

> Iam iam *efficaci do manus scientiae*
> *Supplex.*

v. 27. *purpureo ab ortu.* aurora scil. rubente. — Zephyrus, quem ut leniorem ventum verisque comitem celebrant poëtae, eorumque adeo princeps. Odyss. IV, 565 sqq. ubi de Elysio:

> *Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος*
> *ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας*
> *Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.*

nihilominus apud eosdem pro vehementissimo saepe est. Od. V, 295. *Ζέφυρός τε δυσαής.* cf. Virg. Aen. II, 417. — v. 28. *sero a vespere.* haec enim Zephyri domus (Virg. Georg. I, 371.) Euri oriens.

v. 29. 30. *sicca ab Arcto.* metuente aequore tingui, ut est apud Virg. Georg. I, 245. cf. Tr. IV, III, 2. — *bacchari.* i. q. furere. vid. Mitscherl. ad Hor. I, XXV, 11. Sophocl. Antig. v. 136. de Capaneo. *ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων.* — *adversa fronte.* sc. Boreae. — *proelia.* Hor. carm. I, IX, 9.

> *Permitte divis caetera qui simul*
> *Stravere ventos aequore fervido*
> Deproeliantes etc.

Rector in incerto est; nec quid fugiatve petatve,
 Invenit; ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis:
 Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus; frustraque precanti
 Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud, quam me dolet exsule coniux;
 Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
Nescit in immenso iactari corpora ponto;
 Nescit agi ventis; nescit adesse necem.
Di bene, quod non sum mecum conscendere passus:
 Ne mihi mors misero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
 Dimidia certe parte superstes ero.
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma!
 Quantus ab aetherio personat axe fragor!

---

v. 35. *Scilicet* rem certam significat. non dubium est quin. nostrum fere: es ist nicht anders. Horat. carm. II, XIV, 9. *unda* scilicet *omnibus enaviganda.* — Heinsius ex uno cod. *nec spes nisi vana salutis.*

v. 41. *Di bene.* Dii boni, quam bene feci. Claud. XV, 546.

> Dî bene, *quod tantis interlabentibus annis*
> *Servati.*

Quae autem Heinsius comparavit: *Dii melius*, *Dii meliora* plane sunt diversa. sunt enim implorantis, hoc gratias agentis. — v. 43. *ut pereum.* i. e. etiamsi: nostrum wie auch immer, gesetzt auch daſs. vid. Ramsh. Lat. Gr. §. 191. p. 595 sqq. infr. v. 71. Pont. IV, V, 7.

> *Luce minus decima dominam venietis in urbem,*
> Ut *festinatum non faciatis iter.*

v. 46. *ab aetherio axe,* ab aethere, coelo. Axis et polus saepe

Nec levius tabulae laterum feriuntur ab undis,
Quam grave balistae moenia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes:
Posterior nono est undecimoque prior.
Nec letum timeo; genus est miserabile leti:
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Est aliquid, fatove suo, ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo;
Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra,
Et non aequoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor, immeritos cur mea poena trahit?

---

apud poëtas pro coelo. Virg. Aen. II, 512. *nudo sub aetheris axe.* VIII, 28. *gelidi sub aetheris axe.* — v. 48. De balista vid. Ammian. Marcell. XXIII, 4. Nast. Kriegsalterth. p. 110 sqq.

v. 50. Intelligit *fluctum decumanum*, i. e. maximum. quam significationem unde traxerit haec vox, nemo hodie facile eruet. Mira autem et vix fide digna sunt quae tradit Festus: *Decumana ova dicuntur, et decumani fluctus, quia sunt magna. nam et ovum decimum maius nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur.* — Caeterum vide poëtae loquacitatem in re tanta.

v. 54. *In solida humo.* In aliis codd. est *solita*, quod ut probaret olim Heinsium adduxere loci Trist. IV, III, 45 sq. Virg. Aen. VIII, 213. Sed audi Burmannum: „Recte correxit priores curas vir ill. non enim hic tam sollicitus erat Naso de morte in patria obeunda, quam ut modo naufragio vitato ubicunque in terra obiret; etiam in Scythica. vide v. 62. et qui ferro cadunt id est bello plerumque extra patriam mortem obeunt. Solida vero terra passim Nostro dicitur vid. II Fast. 648. III, 442. VI, 404. et solidus orbis I Metam. 31." Aliter solitam terram interpretatur Heyne ad Virg. l. l.

v. 58. *immeritos.* Nobilissimus qui eandem refert sententiam locus est Aesch. Sept. adv. Theb. v. 606 sqq.

Pro Superi, viridesque Dei, quibus aequora curae,
Utraque iam vestras sistite turba minas!
Quamque dedit vitam mitissima Caesaris ira,
Hanc sinite infelix in loca iussa feram.
Si, quam promerui poenam, me pendere vultis,
Culpa mea est, ipso judice, morte minor.
Mittere me Stygias si iam voluisset ad undas
Caesar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
Copia; quodque dedit, cum volet, ipse feret.
Vos modo, quos nullo certe puto crimine laesos,
Contenti nostris, Di, precor, este malis.
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum iam caput esse potest.

ἐν παντὶ πράγει ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν. —
ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ
ναύτησι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ
ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει.

Alia vide ap. Ian. et Mitscherl. ad Hor. III, II, 29 sq.

v. 59. *Superi.* Coelites opponuntur viridibus i. e. marinis colore ab ipso mari in eos translato. cf. Stat. Silv. I, V, 16. Hinc *virides Nereidum comae* Hor. III, XXVIII, 10. et *Caeruleus Proteus.* Virg. Georg. IV, 388. Hor. Epod. XIII, 16.

v. 65–68. *Si iam voluisset.* Iam adiectum acuit coniunctionis vim. nos: wenn er gewollt hätte, wenn er ja gew. h. vid. Burm. ad art. am. II, 597. — *non invidiosam* copiam puto esse largam, plenam, ut apud Graecos *ἄφθονος, ἀφθονία.* Mart. III, LXV, ult. (*Quid si tota dares illa* (oscula) *sine invidia,* i. e. *ἀφθόνως.*

v. 72. *Quod periit.* Perire dicuntur non solum qui moriuntur, sed etiam qui summa premuntur calamitate. Hinc *perii!* saepissime apud comicos interiectionis loco, heu! me miserum! —

Ut mare considat, ventisque ferentibus utar;
  Ut mihi parcatis; num minus exsul ero?
Non ego divitias avidus sine fine parandi
  Latum mutandis mercibus aequor aro:
Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas:
  Oppida non Asiae, non loca visa prius.
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
  Delicias videam, Nile iocose, tuas.
Quod faciles opto ventos (quis credere possit?)
  Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam laevi fera littora Ponti,
  Quodque sit a patria tam fuga tarda queror.

---

caput pro ipso homine. Ter. Andr. II, III, 34. *ridiculum caput.* Eun. III, III, 25. *capitulum lepidissimum.* Senec. Med. 465. *ingratum caput.* ita *ingenium* Hor. Epist. II, II, 81. Saepius Graeci *φίλη κεφαλή*, *φίλον κάρα*. — v. 73. *venti ferentes.* *οὖρος.* Odyss. X, 25.

αὐτὰρ ἐμοὶ πνοιὴν Ζεφύρου προέηκεν ἀῆναι
ὄφρα φέροι νῆάς τε καὶ αὐτούς.

v. 75. *Non ego — aro.* Non lucri, nec voluptatis causa hoc iter facio. modestissima sunt mea vota. Sarmatiam peto. — v. 77. *Athenas,* quas studiorum causa olim petii, quod solitos fuisse fere, qui altioris eruditionis cupidi essent, notum vel ex Cicerone init. Off. et Horat. Epist. II, II, 43. — v. 78. *visa prius, πρότερον,* i. e. olim, quum Macro duce per Asiam minorem iter faceret. vid. Pont. II, X, 21. — de adv. *prius* cf. Cat. IV, 25. Hinc priores, *πρότεροι* pro maioribus. — v. 80. Nilum iocosum dici putant propter Alexandrinorum hilares mores, lautamque vitam. Haud scio an non recte. Sed ea huc nihil attinent. *Delicias Nili* intellige ipsam Alexandriam, Aegypti decus.

v. 83. *Obligor.* „Nimirum votis, quae pro felici appulsu ad Scythicam terram suscipio. Sic *obligatam dapem reddere* Hor. II. od. VII. et *obligare caput votis* II. od. VIII." Burm. —

Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,
  Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus;
  Pronaque sint nostrae numina vestra rati:
Seu magis odistis, iussae me advertite terrae.
  Supplicii pars est in regione mei.
Ferte (quid hic facio?) rapidi mea carbasa venti.
  Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Caesar: quid, quem fugat ille, tenetis?
  Adspiciat vultus Pontica terra meos.
Et iubet, et merui; nec, quae damnaverit ille,
  Crimina defendi fasve piumve puto.
Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt;
  A culpa facinus scitis abesse mea.
Immo ita; vos scitis, si me meus abstulit error,

---

v. 85. sq. *nescio quo in orbe.* - in qua terrae parte cf. Fast. III, 466. Iuven. II, 108.

Quod nec Assyriaco pharetrata Semiramis orbe (fecit.)

v. 86. *Exilem viam* interpretantur brevem et compendiosam, novo et insolente huius vocabuli usu. Quod quum intellexisset Burmannus, legendum coniecit: *exsilio facio.* Verum sibi quidem viam facere poëta dici potuit, non exsilio. nec propter numerum placet.

v. 89. *Seu magis odistis.* Sive potius odio me prosequimini, nihil est, quo melius iram exercere possitis, quam si in Scythiam me mittatis. *magis* pro *potius.* Virg. Eccl. I, 11. *Non equidem invideo, miror* magis. vid. Burm. ad Grat. Cyneg. v. 90. — *Supplicii pars in regione.* propter coeli iniquitatem et incolarum barbariem. cf. Trist. III, VIII, 26. Pont. III, I, 9 sq.

v. 96. *fasve piumve.* Burm. ex uno cod. dedit *iusve piumve,* atque ita Plaut. Cistell. I, I, 22. *iusque fasque est.* i. e. per humana et divina iura licet. Sed fas eodem hic sensu dicitur quo IV, X, 89. — v. 99 sqq. *Imo,* cui falso affirmandi aut negandi vim

Stultaque mens nobis, non scelerata fuit:
Quamlibet e minimis, domui si favimus illi;
Si satis Augusti publica iussa mihi;
Hoc Duce si dixi felicia saecula; proque
Caesare tura, pius Caesaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
Sin minus; alta cadens obruat unda caput.
Fallor, an incipiunt gravidae vanescere nubes,
Victaque mutati frangitur ira maris?
Non casus, sed vos sub conditione vocati,
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

---

tribuunt, hic etiam ut ubique corrigit. Sensus est: quid dubitanter haec eloquor, certissimum est, vos scire. — *si me mens abst. err.* Solemnis obtestandi formula. Virg. Georg. I, 7.

Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista etc.

cf. Aen. IX, 406 sqq. Hor. carm. I, XXXII, 1. Iliad. I, 37 sqq.

— — — *εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα*
ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα κ. τ. ἑ.

cf. Odyss. IV, 763. IX, 529.

v. 102. *publica iussa.* Locus obscurus, quem alii aliter, saepius tamen coniectura, quam interpretatione tentarunt. Ego, quum publica opponantur privatis, quorum minor est auctoritas, hunc sensum putaverim esse: Si quaecunque iussit Augustus, ea ipsam rempublicam iubere putavi. — v. 103. *Si dixi.* Locum Metam. XII, 217. *Felicem* diximus *illa coniuge Pirithoum.* laudavit Heinsius. vid. Burm. ad Metam. VIII, 519. — v. 104. *pro Caesare Caesaribusque.* si diis sacra feci pro ipsius Augusti familiaeque salute.

v. 107. *fallor? an incipiunt etc.* Mirantis est et iis quae videt vix fidem habentis. Fast. II, 853.

Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo?

v. 109. *sub conditione*, ea scil. ut vera essent, quae de sua in Caesarem pietate iactaverat.

Trist. I, VI.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtae,
 Nec tantum Coo Battis amata suo est:
Pectoribus quantum tu nostris uxor inhaeres;
 Digna minus misero, non meliore viro.
Te mea supposita veluti trabe fulta ruina est:
 Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est:
Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis,
 Naufragii tabulas qui petiere mei.

---

v. 1. *Clario poëtae.* „Clarium poëtam accipe Antimachum Colophonium patria. Fuerunt enim vicina inter se Colophon et Clarii Apollinis oraculum. Unde et Nicander cum esset Colophonius de se ipse inquit: *Τὸν ἔθρεψε Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη.* Quod autem Antimachus Lyden amarit et eius obitum etiam carmine prosecutus fuerit, indicat Crinitus ex Politiano, Epist. XXII. lib. XII." Micyll. „Recte castigavit ignorantiam Merulae Micyllus. Antimachus enim insano amore Lyden prosecutus, et poëma in eius honorem *Λύδην* scripsit. vid. Kuster ad Suid. in *Antimachus.* Athenaeus vero lib. XIII, 7. non uxorem sed amicam fuisse scribit, nam inter nobiles meretrices eam recenset et capite 88 Elegiam adfert Hermesionactis qua poëtas, qui amicas deperierant, enumerat, inter quos et Philetam cum Battide sua habes. vid. Turneb. XI, advers. III." Burm. cf. Broukh. ad Prop. II, XXV, 45. Clarium vocat etiam Cic. Brut. 51.

v. 2. *Coo.* Philetae celeberrimo elegiarum poëtae, de quo vid. Quinct. inst. X, 1. (p. 894. Burm.) et Koenig ad Ael. Var. hist. IX, 14.

v. 5. *Te — fulta est.* Ablativum instrumenti, in hominibus minus usitatum, tropi excusat ratio, et verborum postulabat concinnitas. Simile exemplum Cicer. vid. apud Ramsh. L. G. p. 257. Nepotis locus paulo diversus est, Caesaris plane alienus. — v. 6. *muneris tui est.* tibi debetur. Horat. carm. IV, III. 21. ad Musam: *Totum muneris hoc tui est.* et v. 24. *Quod spiro et placeo; si placeo, tuum est.*

Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus:
Aut ut edax vultur corpus circumspicit ecquod
Sub nulla positum cernere possit humo:
Sic mea nescio quis rebus male fidus acerbis
In bona venturus, si paterere, fuit.
Hunc tua per fortes virtus submovit amicos,
Nulla quibus reddi gratia digna potest.
Ergo quam misero, tam vero teste probaris:
Hic aliquod pondus si modo testis habet.
Nec probitate tua prior est aut Hectoris uxor,
Aut comes exstincto Laodamia viro:

---

v. 12. *sub nulla humo positum.* i. e. inhumatum. — v. 13. *male fidus.* perfidus, infidus ut Virg. Aen. II, 23. *statio* male fida *carinis.* — Qui autem fieri possit, ut adverbium hoc modo augendi, modo minuendi habeat vim, facile cognosces, si verba quibus iungatur accuratius consideraveris. Servat enim ubique suam et propriam vim, quare, quum vocibus adiicitur per se rem bonam significantibus, non potest non contrariam iis tribuere vim, ut male fidus, male sanus al. Huc pertinent etiam ii loci, in quibus adsimulari aliquid innuitur; ut apud Horat. I, IX, 24. *digitus male pertinax.* et apud Petron, *male dormiens* al. Sin vero verbo additur, quod ipsum rem malam significat, necessario hanc mali notionem auget, ut in *male dispar* (Horat. carm. I, XVII, 25.), *male odisse. male metuere* et similibus. Neque dissimiliter Graeci utuntur τῷ *κακῶς*, ut in illo *κακῶς εἰδότες* etc. — *in mea bona.* in possessionem mearum rerum subrepturus. — v. 15. *virtus, ἀνδρεία.* fortis animus. Horat. Epod. XV, 11.

O dolitura mea multum virtute Neaera.

cf. Terent. Eun. I, II, 74. Adelph. IV, II, 25. Nost. Pont. III, I, 93.

v. 17. Sinonis verba apud Virg. Aen. II, 79. comparavit Burm. — v. 19. *prior* i. e. insignior, (magis laudanda) potior. Heroid. XVIII, 69. *A Veneris facie non est* prior *ulla tuaque.*

Tu si Maeonium vatem sortita fuisses,
  Penelopes esset fama secunda tuae.
Sive tibi hoc debes, nulla pia facta magistra,
  Cumque nova mores sunt tibi luce dati:
Femina seu princeps, omnes tibi culta per annos,
  Te docet exemplum coniugis esse bonae:
Adsimilemque sui longa adsuetudine fecit;
  Grandia si parvis adsimilare licet.
Hei mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
  Nostraque sunt meritis ora minora tuis!
Si quid et in nobis vivi fuit ante vigoris,
  Exstinctum longis excidit omne malis:

Terent. Eun. I, I, 5. *Si quidem hercle possis* nihil prius *neque fortius*, et III, V, 19. Primam *dices*, *scio*, *si videris*. cf. Drakenb. ad Liv. XXIII, 28. hinc v. 22. *secunda fama* et minor, post te celebranda. — v. 20. *Laodomia*. Protesilai uxor, ὃς ἐκλαθόμενος τῆς νεογάμου γυναικὸς, ἐπεὶ προσεφέροντο τῇ Τρῳάδι, οὕτω φιλοκινδύνως καὶ ἀπονενοημένως προεπήδησε τῶν ἄλλων, δόξης ἐπερασθεὶς, δι᾽ ἣν πρῶτος ἐν τῇ ἀποβάσει ἀπέθανε. Luc. Dial. Aeaci et Protes. cf. Dial. Plut. et Prot. et Nost. Her. XIII. — *comes*, quod simul cum coniuge concessu Plutonis e Tartaro emerso ad inferos rediit. —

v. 24. *cum nova luce*, quum nascereris, *mores hi tibi dati sunt*, insita tibi est haec probitas. Caeterum in tali loco pro *moribus* exspectaveris potius *ingenium*, quod licet eodem interdum verbo possit verti (Character) ut Terent. Andr. III, III, 8. *bonum* ingenium *narras adolescentis*. cf III, IV, 7. differt tamen ab illis eo, quod ipsam significat animi indolem, qua ut ita agemus impellimur. Mores contra ad agendi rationem, quatenus in conspectum venit hominum, sive quam ipsi volentes induimus, referuntur. — v. 25. *femina princeps*, intellige Liviam. — v. 32. pro *excidit* Heins. et Burm. *occidit*.

Prima locum sanctas heroidas inter haberes:
Prima bonis animi conspicerere tui.
Quantumcunque tamen praeconia nostra valebu
Carminibus vives tempus in omne meis.

Trist. I, VIII.

In caput alta suum labentur ab aequore retro
Flumina: conversis solque recurret equis:
Terra feret stellas: coelum findetur aratro:
Unda dabit flammas; et dabit ignis aquas.
Omnia naturae praepostera legibus ibunt;
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quae posse negabam:
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.

---

v. 1 sqq. Perfidiam queritur amici, a quo quum destitutus s nihil iam esse dicit, quod fieri non possit, quare complura d versi generis ponit *ἀδύνατα* iam iam rata futura. — *labent flumina retro.* Eurip. Medea. v. 414 sq.

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,
καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.

Horat. I, XXIX, 10 sqq. *Quis neget arduis pronos relabi pos rivos montibus et Tiberim reverti.* Splendidum eiusdem gen ris locum vid. apud eund. Epod. XVI. v. 24 sqq. cf. Ovid. Heroi V, 29 sqq. — *in caput.* ad fontem. quod notum vel ex Hor I, I, 2. *ad aquae lene caput sacrae.* Caput autem dici etiam fl minis ostium in Virgilii loco Georg. IV, 319. Burmannus et Me nius evincere conati sunt. Haud scio an minus recte. Quin etia e loco Caesar. B. G. IV, 10. et quos ad h. l. laudavit Oudendo pius ad VII, 41. Davisius hoc minime sequi puto. vid. ad Tris III, X, 28.

v. 5. *Praepostera.* *πρωθύστερα*, inverso ordine *ibunt* i. e. fie erunt. cf. Virg. Georg. II, 344. atque ita *rem isc* dicimus al.

Haec ego vaticinor; quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.
Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri?
Adflictumne fuit tantus adire pudor?
Ut neque respiceres, nec solarere iacentem,
Dure? neque exsequias prosequerere meas?
Illud amicitiae sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibusque iacet?
Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere, et adloquii parte levare tui?
Inque meos si non lacrimam demittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri?
Idque quod ignoti faciunt, valedicere saltem;
Et vocem populi, publicaque ora sequi?

---

v. 9. *ab illo* sequente pron. relat. pro: ab eo, quod simplicius pronomen fugiunt fere poëtae. — v. 14. *exsequias* vid. ad I, III, 89.

v. 16. *Sub pedibus* iacere sive pedibus subiici dicuntur ea quae nihili facimus, contemnimus. Virg. Georg. II, 491.

Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

cf. Ovid. Metam. XIV, 489. *sors ubi pessima rerum, sub pedibus timor est.* — v. 17. *Quid fuit.* Num ita ardua res erat. Metam. IV, 74. *Quantum erat* comparavit Burm. cf. Trist. III, III, 31.

Quantum erat, o! magni, perituro parcere, Divi.

v. 19 sq. *lacrimam demittere.* sortem meam deplorare. *dimittere* vett. perpetuo errore. Virg. Aen. VI, 355. *Demisit lacrimas.* atque ita Homerus. *θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα.* — *ficto dolore* al. *sicco*, quod placuit Burmanno. cf. Benth. ad Horat. I, III, 18. Sed ut latinum sit *siccus dolor*, num hic lenior? — v. 21. *ignoti* sunt quibuscum non interior nobis est familiaritas. Terent. Eun. II, II, 7. *omnes me noti atque ignoti deserunt.* — v. 22. *publica ora* intell. ipsam populi vocem lugentis Ovidii ca-

Denique lugubres vultus, nunquamque videndos
 Cernere supremo, dum licuitque, die?
Dicendumque semel toto non amplius aevo
 Accipere, et parili reddere voce, Vale?
At fecere alii nullo mihi foedere iuncti,
 Et lacrimas animi signa dedere sui.
Quid, nisi convictu causisque valentibus essem,
 Temporis et longi vinctus amore tibi?
Quid, nisi tot lusus, et tot mea seria nosses,
 Tot nossem lusus seriaque ipse tua?
Quid? si duntaxat Romae mihi cognitus esses?
 Adscitus toties in genus omne loci!
Cunctane in aequoreos abierunt irrita ventos?
 Cunctane Lethaeis mersa feruntur aquis?
Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
 Urbe, meo quae iam non adeunda pede est.
Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri,
 Inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis.

---

sus. sic apud Catull. XL, 5. *ora vulgi* et pessime ora hominum; virum al. pro sermonibus.

v. 29. Qui tot vinculis mihi coniunctus tenereris, si tum leviter ferre potuisti infortunium meum, quid facturus fuisses, si nulla nobis intercessisset familiaritas. Pro *convictu* al. *coniunctus*, quod praeferendum fortasse etiam propter *que* — *et* ita sibi opponi solitas. — v. 31. *tot mea seria*. cf. Pont. II, IV, 9 sq. IV, III, 13 sqq.

v. 37. *Placidam* dicit Romam, quae alias Martia, bellicosa, etc. dicitur; respectu scil. populorum quos opponit saevitiae, barbariaeque. — v. 38. *non adeunda*. quam non licet adire. ubi enim his participiis accedit negatio, non ad necessitatem, sed ad ipsam ea pertinet actionem. Hinc quum *adeundus* sit, quem necesse est adire, *non adeundus* est: quem necesse est non adire, sive quem

Et tua sunt silicis circum praecordia venae;
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Quaeque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
Aut mala nostra minus, quam nunc, aliena putasses,
Duritiaeque mihi non agerere reus.

---

adire non licet. — v. 42. *ferri semina.* comparari potest Sever. in Aetna v. 270. *quaeritur argenti semen.* at hic sensus esse videtur: ferrei sunt generis, durissimae indolis. — *habet* al. habent. vid. Heins. ad Heroid. XII, 170. cf. Mitscherl. ad Hor. I, III, 9. Broukh. ad lib. I, 1. — v. 43. *ducenda.* ita scribendum, non augenda ad Fast. II, 419. exemplis probavit Heinsius. Caeterum cf. Hom. Iliad. XVI, 34.

— — — *γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα*
πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Virg. Aen. IV, 367.

— — — *sed duris genuit te cautibus horrens*
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

Ovid. Metam. VII, 32.

— — *neque enim de tigride natus,*
Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leaenae.

v. 45. *Aut — putasses.* Nisi ferreus esses et tigridis alumnus, minus aliena a te putasses mala mea, quam nunc vidimus te facere. *aut* enim est i. q. alioquin (sonst), ut animadvertit Harduin. ad Plin. Hist. Nat. II, 71. (70) *Neque enim, ut dixere aliqui, mundus hoc polo excelsiore se attollit;* aut *undique cernerentur haec sidera.* cf. Cic. Att. II, 1. *aut ne poposcisses.* Ovid. Metam. X, 52. Drakenb. ad Liv. IV, 25. Xenoph. Hier. VI, 14. *τούτους δὲ μήτε κατακτείνειν ἅπαντας, μήτε δεσμεύειν οἷόν τε· ἢ τίνων ἔτι ἄρξει;* quod nollem mutatum esse ab editoribus. Idem Oec. II, 5. *ὅτι πρῶτον μὲν ὁρῶ σοι ἀνάγκην οὖσαν θύειν πολλά τε καὶ μεγάλα, ἢ οὔτε θεοὺς οὔτε ἀνθρώπους οἶμαί σε ἂν ἀνασχέσθαι.* Plat. Phaedr. p. 249. *πᾶσα μὲν ἀνθρώπου ψυχὴ*

Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima suis;
Effice, peccati ne sim memor huius, et illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

Trist. I, IX.

Detur inoffensae metam tibi tangere vitae,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.

φύσει τεθέαται τὰ ὄντα, ἢ οὐκ ἂν ἦλθεν εἰς τόδε τὸ ζῶον. cf. quae disseruit Henric. Steph. in Thes. s. v. al. leg. *at* vel *an* male. —

v. 47. 48. Sed quoniam in tanta calamitate perturbatio fieri animorum, nec suo ordine pleraque agi soleant, ignoscam tibi, si nunc saltem officiosum mihi te praebueris.

v. 1. Gratulaturus amico cui feliciter nescio quid evenisse acceperat, simul eum monet, ne hominum benevolentiae et amicitiae nimium confidat. v. 1–14. Suo exemplo optime hoc probari, cui magna dum steterit amicorum fuerit turba, nulli fere post casum. v. 15–20. et quamquam cauti sit hominis vitare potentium iras, exemplis tamen probat fidam amicitiam etiam ab hostibus laudari. v. 21–36. Se autem, quamquam miserrimam ipse nunc agat vitam, gaudere tamen quod amico ad quem scribit bene evenerit; neque fieri potuisse pro eius dotibus quin ad amplissimos honores perveniret. v. 37–54. Sibi contra damno fuisse ingenium, nocuisse enim versus (carmina) v. 55–66. Quae quum optime cohaereant, nescio quid a versu 39. novam quidam inchoent Elegiam, quos recte reiecit Micyllius. — Hanc elegiam in lib. vet. Severo inscriptam fuisse, decepto, ut videtur, librario per v. 57. notavit Burm.

v. 1. *inoffensae vitae.* „Zinzerl. cap. 51. ex Mss. *detur inoffensam vitae tibi tangere metam*, quod ille illustrat ex Horat. I, I, (4 sq.) *meta fervidis evitata rotis.* sed ibi alia res est. iterabantur enim in circo spatia, sed in hac metaphora a spatio de-

Atque utinam pro te possint mea vota valere,
  Quae pro me duros non tetigere Deos!
Donec eris felix, multos numerabis amicos:
  Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Adspicis, ut veniant ad candida tecta columbae;
  Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicae tendunt ad inania nunquam:
  Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per solis euntibus umbra,
  Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur Fortunae lumina vulgus;
  Quae simul inducta nocte teguntur, abit.

---

sumta semel modo decurrere licet et ubi metam attigimus nullus locus offensae relinquitur. Optat ergo ut sine offensa vitae studium decurrens ad metam perveniat. sic *inoffensum cursum honorum* dixit Tacitus I. Hist. 48. non *inoffensam metam.* hinc inoffensus coepit usurpari pro continuo, sine intervallo vel interruptione. sic Tacitus dixit *inoffensum navium ordinem* lib. II. Hist. 32. (imo 34.) et Quinct. I. de inst. or. I. inoffensam litterarum inter se coniunctionem etc." BURM. Adde Mart. XIV, epigr. CCIX. inoffensa *curret arundo* via, i. e. in qua non offendit, et Tr. III, IV, 33.

pede inoffenso spatium decurrere vitae. — *Dari* dicitur quidquid a natura aut fato conceditur. vid. Vesterh. ad Terent. Eun. III, I, 5. Notissima Graecorum: *Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι· σοὶ δὲ θεοὶ δοῖεν.* al.

v. 10. *ad amissas opes.* ad eum qui opibus excidit. Horat. I, XXXV, 26. *Diffugiunt cadis cum faece siccatis amici ferre iugum pariter dolosi.* Eurip. Electr. v. 1135. M. *Πένητας οὐδεὶς βούλεται κτᾶσθαι φίλους.* Theogn. v. 621. *Πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν.* — v. 13. *Mobile vulgus*, inconstans. vid. Mitscherl. ad Horat. I, I, 7. quem tamen cum omnibus, quot vidi, latuisse puto verum illius loci sensum, explicandi e Virg. Georg. II, 508 sqq. Hor. Carm. II, XVII, 26. — v. 14. pro *nocte* ab *nube* cf. I, V, 27 sqq.

Haec, precor, ut semper possint tibi falsa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum stetimus, turbae quantum satis esset, habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa, domus.
At simul impulsa est; omnes timuere ruinam;
Cautaque communi terga dedere fugae.
Saeva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus adflari proxima quaeque vident.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Caesar in hoste probat.
Nec solet irasci, neque enim moderatior alter,
Cum quis in adversis, si quid amavit, amat.
De comite Argolici postquam cognovit Orestae,
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.

---

v. 19. *impulsa.* graviter concussa ut ruinam daret. Similiter Lucan. Phars. III, 440.

Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex.

i. sternitur. Claud. de raptu Pros. II, 181. *trifida Neptunus cuspide montes* impulit, ut scil. dissilirent. cf. Gronov. ad Liv. XXVI, 6. qui locis laud. addere poterat. Vell. II, 51. *graviter* impulsi *sunt Caesaris milites.* et II, 70. impulsis *hostibus castra cepit.* — v. 20. *Cauta* per enallagen pro cauti. al. cuncta.

v. 21. *admiror* cum improbatione. Cic. Prov. Cons. XI. *Sed quid est, quod in hac causa maxime homines* admirentur et *reprehendant meum consilium.* — v. 22. *adflari* dicuntur quaecunque aliqua re *leviter* tanguntur, maxime quae igni corripiuntur. Ipse Noster Pont. III, VI, 17. dixit adflatos *fulminis telis.* Liv. XXX, 6. *magna pars saucii,* adflatique *incendio effugerant.*

v. 27 sqq. Neque extimescendam fuisse fido amico Augusti iram dicit. fidem enim a nemine non laudari, quod comprobat nobilibus exemplis, Pyladae (vid. Eurip. Iph. Taur. et quae Noster

Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore fides.
Quod pius ad manes Theseus comes isset amico,
Tartareum dicunt indoluisse Deum.
Euryali Nisique fide tibi, Turne, relata,
Credibile est lacrimis immaduisse genas.
Est etiam miseris pietas, et in hoste probatur.
Hei mihi, quam paucos haec mea dicta movent!
Hic status, haec rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat ut lacrimis nullus adesse modus.
At mea sunt, proprio quamvis moestissima casu,
Pectora processu facta serena tuo.
Hoc eventurum iam tum, carissime, vidi,
Ferret adhuc istam cum minor aura ratem.
Sive aliquod morum, seu vitae labe carentis
Est pretium; nemo pluris habendus erit.

---

narrat Pont. III, 2.) Patrocli, Thesei (cum Pirithoo Proserpinam rapturo) et Euryali Nisique (vid. Virg. Aen. IX, 176 sqq.).

v. 40. *processu.* Ita Burm. ut sit dictum pro incremento exemplis usus lib. IV. v. 25.

Sic tua processus habeat Fortuna perennes.

Quinct. Decl. III, 9. *in dies sperare processus potest.* aliisque quibusdam. De verbo *procedere* simpliciter dicto pro prospere procedere vid. Drakenb. ad Liv. II, 44. In plerisque vett. ll. est *pro sensu,* in Voss. *pro censu* al. *profectu.*

v. 41. Atque sic fore, te ad amplissimos perventurum esse honores, olim vidi, quum minus splendida adhuc esset tua sors, quum ratem istam (tuam) minor adhuc ferret aura. Horat. Epist. II, II, 200 sqq.

Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris.

cf. carm. III, XXIX, 62 sqq. Nost. Pont. II, III, 26. Trist. I, V,

Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes;
Quaelibet eloquio fit bona causa tuo.
His ego commotus, dixi tibi protinus ipsi,
Scena manet dotes grandis, amice, tuas.
Haec mihi non ovium fibrae, tonitrusve sinistri,
Linguave servatae pennave dixit avis;
Augurium ratio est et coniectura futuri:
Hac divinavi, notitiamque tuli.
Quae quoniam vera est, tota mihi mente, tibique
Gratulor, ingenium non latuisse tuum.

---

17. — v. 43–46. Nam seu moribus dignus aliquis habeatur, quis te praestantior, seu bonis artibus, eruditione opus sit, quis te melior orator? — *caput extulit*, ut scil. supra caeteros emineret (honore, auctoritate), quemadmodum Virgilius Romam inter alias urbes caput extulisse dixit Ecl. I, 25. *extulit* autem dixit ἀορίστως vid. Zeune ad Virg. p. 210. Ramshorn lat. Gr. p. 401. adde Hor. carm. III, II, 29 sqq. *Diespiter incesto addidit integrum* et *raro scelestum deseruit Poena.* Virg. Georg. II, 499 sqq. cf. Iliad. IV. v. 161. — v. 47 sq. Hinc conieci et tibi olim praedixi, grandem te manere scenam i. e. insignem tibi datum iri locum in quo agas. Cic. or. II, 83. *quia maxima quasi oratori scena videatur concio.* cf. Pont. I, V, 69. III, I, 59.

v. 49 sqq. Neque haruspicina, *ovium fibris*, vel augurio edoctus haec divinavi, sed ratione duce. — *sinistri tonitrus.* fausti, quoniam Romanis in auspiciis ad meridiem conversis ortus, nobilior mundi pars (vid. Plin. H. N. II, 54.), in quo meliora essent auspicia, ad laevam erat. Varro ap. Festum. *A Deorum sede quum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientis, ad dextram occidentis; hinc factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextra esse existimarentur.* Hinc saepe: *intonuit laevum* et similia. — *linguave pennave*, quoniam aut cantu aut volatu aves auguria faciebant. hinc aut *oscines* dicebantur aut *praepetes*, vid. Serv. ad Virg. Aen. III, 361. Gell. N. A. VI, 6. — *Servare* est vox auguralis. Dicuntur enim augures auguria captantes servare de coelo. Attamen aliis etiam

At nostrum tenebris utinam latuisset in imis!
Expedit (in) studio numen abesse meo.
Utque tibi prosunt artes, facunde, severae:
Dissimiles illis sic nocuere mihi.
Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui.

---

de rebus dicitur pro observare, ut Virg. Georg. I, 402. *Noctua solis occasum servans de culmine summo* — „*Ratio* et *coniectura* est, cum quis prudens de futuris recte coniicit. ita Iust. I, 9. *vir in coniecturis sagacissimus;* et saepe Cicero; vid. II. de divin. 11. Nep. Themist. I. Ordo vero est, ratio et coniectura est augurium futuri." Burm. Sed an latine dicatur *augurium futuri* dubito. Imo coniunge: *coniectura futuri.* — *notitiam tuli* i. e. cognovi, ut dicimus gloriam ferre, victoriam et similia.

v. 55 sq. Mihi vero nocuit ingenium, quo utinam caruissem. — v. 56. *Expedit:* praestat, utile est. Cic. Quint. Fr. ep. II. *Tu, si ita expedit, velim quam primum conscendas.* atque ita saepius. cf. Bentl. et Hor. Epod. XVI, 15. ubi qui legunt, *quod expediat,* falluntur, si cum Bentleio idem esse censent ac: quod bene vertat, τύχῃ ἀγαθῇ. —

v. 57. *artes severae.* eloquentia, et quae ad ius pertinent, dissimiles quibus Ovidii artes, intellige cum poësin omnino, tum praesertim libros de arte amandi. — v. 60. *auctoris sui.* Quasi scripsisset: Scis artes illas non infecisse auctoris sui mores. Nunc autem scribere oportuit: earum auctoris. Simile exemplum est Fast. V, 223.

Prima Therapnaeo feci de sanguine florem
Et manet in folio scripta querela suo.

ubi non ad querelam, sed ad florem referendum puto pronomen. Si scriptum esset: *Cui manet*, non haereremus. Sensus autem est: quae servat querelam inscriptam foliis suis. Nep. Cim. III. *Incidit in eandem invidiam, quam pater* suus. Attic. X. *Antonius autem etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed omnibus etiam* suis *amicis esset inimicus.* ut quidem plurimi habent codd. cf. Ramsh. L. G. p. 348.

Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen, et istos
 Ut non laudandos, sic tamen esse iocos.
Ergo ut defendi nullo mea posse colore,
 Sic excusari crimina posse puto.
Qua potes, excusa; nec amici desere causam,
 Quo bene coepisti, sic pede semper eas.

Trist. III, III.

Haec mea, si casu miraris, epistola quare
 Alterius digitis scripta sit; aeger eram.
Aeger in extremis ignoti partibus orbis,
 Incertusque meae paene salutis eram.

---

v. 63. *nullo colore* i. e. quidquid praetexam. nostrum Vorwand. Quinct. Decl. XVI, 2. *ego excogitasse videor hunc colorem*; et sic saepius apud eundem.

v. 1. 2. Morbo adfectus ad uxorem queritur poëta, durissimam sibi cecidisse sortem, cui in vitae discrimine nec medici ars, nec amica adsit manus. Rogat deinde, ut si mortuus fuerit in barbara terra, ossa tamen Romam deferenda et pie condenda curet, brevi titulo in tumuli marmore inscripto, maius enim sibi carmina fore monumentum. — *Si casu miraris.* al. *si coniux m.* casu dici pro *fortuito*, novi; pro *forte* (etwa) legisse non memini. Nec aptius dici puto *si casu miraris*, quam *wenn du dich zufällig wunderst.* Horatii *si pallerem casu*, Epist. I, XIX, 18. verti quidem potest *etwa;* sed nihilominus significat fortuito, *von ungefähr.* — *Aeger eram.* Veteres in literis non tempus, quo scriberent, sed quo delata iam epistola legeretur praesens sibi finxisse notum est. vid. Ramsh. L. G. p. 398.

v. 3. 4. *ignoti orbis.* terrae peregrinae, ut Tibullus etiam queritur I, III, 3.

Me tenet ignotis *aegrum Phaeacia* terris.

quem in hoc carmine non uno loco Ovidium imitatum esse, nemo non videt. cf. III, VIII, 2. — *incertus salutis.* omnium fere ad-

4

Quid mihi nunc animi dira regione iacenti
Inter Sauromatas esse Getasque putas?
Nec coelum patimur, nec aquis assuevimus istis,
Terraque nescio quo non placet ipsa modo.
Non domus apta satis; non hic cibus utilis aegro;
Nullus, Apollinea qui levet arte malum.
Non qui soletur, non qui labentia tarde
Tempora narrando fallat, amicus adest.
Lassus in extremis iaceo populisque locisque,
Et subit affecto nunc mihi, quidquid abest.

---

iectivorum, quibus Genit. obi. addatur, exempla vid. apud Ramsh. p. 176–180.

v. 5. Quem nunc, quum aeger sim, rerum mearum censes esse statum? *Quid animi.* al. quem animum, quod deterius. Ita Horat. Epod. III, 3. *hoc veneni* dixit pro hoc venenum. Terent. Eun. II, II, 6. *Quid hoc ornati est?* Hec. IV, IV, 21. *Quid mulieris uxorem habes?* et passim alia.

v. 7. *non patimur.* i. e. non sustineo, durare valeo, qua de usu uberrime disseruit Gronov. ad Senec. Thyest. v. 490. — *aquas istas*, quod erat in codd. quibusdam, exemplis defendit Burmannus, quae pleniora vide apud Bentleium ad Horat. Serm. I, IV, 105. At vero neque eiusdem ea sunt generis, neque ullo pacto hic scribi potuit *aquas*, siquidem is, qui adsuescat, obiectum esse potest, non res cui adsuescit; nisi enallage sit, ut in loco Virgilii Aen. VI, 833.

Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella.

at tum nostro in loco addendum erat *nobis*, quod non magis omitti poterat, quam in Aeneidos loco *animis*.

v. 10. *Apollinea arte.* Medico se destitutum esse dicit. De Apolline Medico vid. Mitscherlichii dissertatio. Gott. 1820.

v. 12. *fallat.* vid. ad IV, X, 114.

v. 14. *affecto.* Affecti simpliciter dicuntur aegroti non magis a serioribus quam ab optimis cuiusvis aetatis scriptoribus, ut

Omnia cum subeant, vincis tamen omnia, coniux,
Et plus in nostro pectore parte tenes.
Te loquor absentem; te vox mea nominat unam;
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam sic me dicunt aliena locutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum.
Si iam deficiat, suppressaque lingua palato,
Vix instillato restituenda mero;
Nuntiet huc aliquis dominam venisse; resurgam,
Spesque tui nobis causa vigoris erit.
Ergo ego sum vitae dubius; tu forsitan illic
Iucundum nostri nescia tempus agis?
Non agis, adfirmo: liquet, o! carissima nobis,
Tempus agi sine me non nisi triste tibi.
Si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos,
Et mihi vivendi tam cito finis adest:

Terent. Hecyr. III, II, 45. Prop. II, XXI, 1. Cic. Att. XIV, 17. Neque aegroti tantum, sed quidquid est *κακῶς διατιθέμενον.* vid. Drakenb. ad. Liv. V, 18.

v. 15 sqq. *vincis omnia.* Tu mihi omnium maxima cura, et pectoris mei plus dimidio tenes (vide ad IV, X, 32. quibus adde Trist. V, X, 30.) — v. 19. *aliena loqui. ἀλλοτριολογεῖν*, insipientia loqui. Deinde v. 22. Heinsius legit: *Si iam deficiat suppresso lingua palato.* Burmannus adeo: *sub fesso.* Quae deteriora nostra lectione. *Suppressa lingua palato* est, quae, palati quasi pondere pressa, immota iacet. Supple autem *sit* sive *erit*, quod latet in priore verbo.

v. 27. *liquet nobis.* certo scio, te me absente laetam vitam non agere. Trist. I, I, 62. *te liquet esse meum.* hinc *liquido* aliquid dicere, iurare etc. vid. Vesterh. ad Terent. Andr. IV, III, 14. cf. Eun. II, III, 69.

v. 29 sq. *Si implevit.* vid. ad IV, X, 77.

Quantum erat, o! magni, perituro parcere, divi;
Ut saltem patria contumularer humo!
Vel poena in mortis tempus dilata fuisset,
Vel praecepisset mors properata fugam.
Integer hanc potui nuper bene reddere lucem;
Exsul ut occiderem, nunc mihi vita data est.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,
Et fient ipso tristia fata loco?
Nec mea consueto languescent corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat ullus erit?
Nec dominae lacrimis in nostra cadentibus ora
Accedent animae tempora parva meae?
Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?
Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri
Indeploratum barbara terra teget?

---

v. 31. *Quantum erat.* vid. quae dixi ad I, VIII, 17. —

v. 34. *praecipere* ut interdum *ante ire*, Graecum *φθάνειν*.

v. 44. *Labentes oculos.* „Virgil. XI. Aeneid. 818. *labuntur frigida leto lumina.* labentes oculos hinc in morte ut in somno, imagine mortis, capio pro oculis hominis labentis, i. e. moribundi. nam labi ita proprie sumi solet. vid. ad III Art. 742. ita et apud Lucan. III, 742. *caput labens* etc. Supremus vero clamor est complorantium. vid. Valer. Fl. I, 752. VIII, 172.“ Burm. cf. dicenda ad Pont. III, I, 69. — *condet.* al. *claudet.* Prop. IV, XI, 64. et Virg. Aen. XII, 310. comparavit Heinsius, et sic passim apud Nostrum. Hom. Odyss. XI, 426.

χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

v. 46. *indeploratum.* vid. ad IV, X, 79. Sophocl. Antig. v. 29. *ἐᾷν ἄκλαυστον, ἄταφον.* cf. Hom. Odyss. XI, 54. 72.

Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente,
Et feries pavida pectora fida manu?
Ecquid, in has frustra tendens tua brachia partes,
Clamabis miseri nomen inane viri?
Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos.
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.
Cum patriam amisi, tum me periisse putato:
Et prior et gravior mors fuit illa mihi.
Nunc, si forte potes, sed non potes, optima coniux,
Finitis gaude tot mihi morte malis,
Quam potes, extenua forti mala corde ferendo,
Ad quae iam pridem non rude pectus habes.
Atque utinam pereant animae cum corpore nostrae,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos!
Nam si morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis;

---

v. 57. *Quam potes*, pro quantum. al. *quod potes.* cf. Vesterh. ad Terent. Eun. II, I, 9. — *ferenda.* Eandem fere sententiam expressit Virg. Aen. V, 710.

Quidquid erit: superanda omnis fortuna ferendo est.

v. 58. quae dudum adsuevisti malis. Dicitur autem *rudis rei*, Cic. p. M. Marc. VII. *in re*, Prop. II, XXV, 82. *ad rem*, Nost. Pont. III, VII, 18. etiam *re.* Vellei. II, 73. quamquam ibi *studiis* malim interpretari: si studia respicias.

v. 59. Epicureorum doctrinam respicere Nostrum, *λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος καὶ τὴν ψυχὴν διασπείρεσθαι* statuentium visum est cuidam. Quod vix crediderim. Neque urgenda sunt, quae vv. sqq. de Pythagorae placitis dicit. Nam secundum ea, quae ipse loquentem facit Pythagoram Metam. XV, 158 sqq. *priore relicta sede novis domibus habitare* licuit. Hic autem id tantum respicere videtur, quod *morte carere* animas Samius dixerat.

Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras,
  Perque feros Manes hospita semper erit.
Ossa tamen facito parva referantur in urna;
  Sic ego non etiam mortuus exsul ero.
Nec vetat hoc quisquam, fratrem Thebana peremtum
  Supposuit tumulo, rege vetante, soror.
Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce,
  Inque suburbano condita pone solo.
Quosque legat versus oculo properante viator,
  Grandibus in tumuli marmore caede notis.

---

v. 64. *Per feros Manes*, i. e. inter Graecorum *dvd.* Locum Valer. Fl. VI, 492.

Lilia per *vernos lucent velut alba colores.*

laudavit Burm. adde Virg. Georg. I, 331. *mortalia corda.* Per *gentes humilis stravit pavor.* cf. IV, 562. Nost. Trist. V, X, 20.

Per *medias legimus noxia tela vias.*

v. 67. *fratrem — soror.* In bello Thebano priore, quum Eteocles et Polynices fraterno uterque ferro cecidissent, Polynicem patriae interitum minitatum sepeliri vetuit Creon. Quem nihilominus pia soror Antigone humavit, mortem fratris dedecori praevertens. vid. Sophocl. Antig. et Aeschyl. VII. adv. Theb. sub finem.

v. 69. *Amomi pulvere.* Plin. H. N. XII, 28. (13.) *Amomi uva in usu est Indica vite labrusca: ut alii existimavere frutice myrtuoso* etc. cf. Diosc. I, XIV. Sprengel, hist. rei herb. I. p. 140 et 247. Billerbeck, Florae class. p. 2. Voss ad Virg. Ecl. III, 89. De usu eius in funeribus vid. Kirchm. p. 226. cf. Tib. III, II, 9. et dicenda ad eiusd. I, III, 7. — v. 70. *in suburbano.* quoniam lege erat vetitum, in ipsa urbe mortuos sepelire. Cic. Legg. II, 23. *Hominem mortuum, inquit lex in XII, in urbe ne sepelito neve urito.* Hinc extra urbem in viis plerumque erat communis sepultura, quod videre licet etiamnum Pompeiis. vid. Goro von Agyagfalva Wanderungen durch Pompeji.

v. 72. *Grandibus notis.* Mirifice errat Burmannus, qui fuisse,

HIC EGO QUI IACEO, TENERORUM LUSOR AMORUM,
INGENIO PERII NASO POETA MEO.
AT TIBI, QUI TRANSIS, NE SIT GRAVE, QUISQUIS AMASTI,
DICERE, NASONIS MOLLITER OSSA CUBENT.
Hoc satis in titulo est. Etenim maiora libelli
Et diuturna magis sunt monumenta mei.
Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
Nomen, et auctori tempora longa suo.
Tu tamen exstincto feralia munera semper,
Deque tuis lacrimis humida serta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis,
Sentiet officium maesta favilla pium.
Scribere plura libet; sed vox mihi fessa loquendo,

---

quas nos capitales literas vocemus, putat. Quem errorem nulla falsi suspicione suscepere Bachius, Platzius, Kleinius. Quasi vero aliis notis nisi capitalibus usi essent illius temporis Romani! — *Grandes notae* sunt conspicuae magnitudine. Cic. Verr. IV, 34. *Haec* (Diana) *erat posita Segestae, sane excelsa in basi; in qua* grandibus literis *P. Africani nomen erat incisum.*

v. 76. *molliter — cubent.* De hac pia formula vid. Kirchm. de fun. III, 9. Tib. II, IV, 49.

Et, bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securae sit super ossa levis.

Caeterum mirare hic levitatem Platzii et Kleinii, qui non intellexerunt vv. 75. 76. alteram esse inscriptionis partem, quod, si minus norant stilum sepulcralem, docere eos potuit versus insequens: *Hoc satis in titulo.* i. e. ἐπιγραφῇ. al. *tumulo.* — v. 78. *monumenta.* Comparasse iuvabit illud Horatii: *Exegi monimentum aere perennius.* — De *feralibus* v. Nost. Fast. II, 533 sqq.

v. 85. 86. Errant qui coniungunt *vox fessa siccaque lingua,* qui in eo videntur offendisse, quod tertiae voci additum *que.*

{Nam quamquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius, si quis obesse potest.}
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Adspicis, ut summa cortex levis innatet unda,
Cum grave nexa simul retia mergat onus?
His ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debueram, forsitan urbe forem.
Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Haec mea per placidas cymba cucurrit aquas.

---

contuli, quin is mihi succubuerit. i. e. quam fortis, quam potens fuerit. Ita in loco Ciceronis s. l. *Quamdiu quisquam erit.* subintellige: quam pauci sint, vel quam turpis, quam perditus. Ita Terentianum *Si quisquam est*, explicari debet: Si qui sunt, quam pauci sint. Ita nostro loco: *Si quidquam credis:* quam sit exiguum. — *nomina magna.* hominum potentiorum amicitiam, quos praelustres in seqq. vocat. cf. II, 442. Similia poëtarum dicta collegit Obbarius ad Hor. Sat. I, X, 32. p. 56.

v. 7. 8. Distichon hoc cuius scriptura fluctuat nugatoris esse non Nasonis censuit Heins. Fortasse recte. — *potentes* pro primoribus sive optimatibus simpliciter dici, vix erat, quod e Phaedro probaret Burm. caeterum cf. Soph. Aj. 158 sqq.

καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς
σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται·
μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν κ. τ. λ.

Horat. Epod. II, 7 sqq. Mart. V, XX, 5.

v. 10 sq. *lata vela*, ut minore vi navis feratur. Sequentium vv. sensus est: ut leviora in flumine natant, graviora merguntur, ita homines leves et ignoti minora subeunt pericula, quam clari et conspicui. — *cortex:* suber retibus adhaerens.

v. 15 sqq. Eadem metaphora usus est Horat. Epist. II, II, 201 sqq.

Non agimur tumidis velis Aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris.

Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo:
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas,
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat.
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumedes orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaëthonta Merops.

---

cf. Carm. II, X, 1–12. — *Elpenor*, qui in Circes aedibus male sobrius tecto decidit. vid. Odyss. X, v. 552 sqq. — *regi*, Ulixi. vid. Odyss. XI, 51 sqq. — *debilem umbram* interpretantur claudam, lapsu scil. quod mihi a loco alienum videtur, nam licet debilis pro Graeco *πηρός*, *ἀνάπηρος* dicatur, dubito an de eo dici possit, cui *ἐξ ἀστραγάλων αὐχὴν ἐάγη*. Od. l. l. v. 64 sqq.

v. 22. *nomine signet aquas.* Icarium mare ab eo nomen traxisse ferebatur cf. Hor. IV, II, 3 sq. — v. 24. per interrogationem legit Burm. *nonne* coniecit Heins. At recte Bentleius, notante Burm. coniunxit; *non suas* i. e. non datas sibi natura. Virg. Georg. II, 82.

Miraturque novas frondes et non sua *poma.*

cf. Ovid. Heroid. XIV, 90. Disiunctionem autem verborum in Ovidio levius fero quam alibi.

v. 25 sq. *infra fortunam suam*, non altiora petere, sed modestiorem se gerere, quam per fortunam liceat. *infra* coni. Heins. sed vid. Broukh. ad Prop. III, VII, 2.

v. 27. *Eumedes*, cuius filius Dolon incitatus cupidine equorum Achillis mortem sibi conscivit. vid. Iliad. X, 314 sqq.

v. 30. *cepisset.* „Eleganter dictum. Merops Phaethontem non

Tu quoque formida nimium sublimia semper,
  Propositique memor contrahe vela tui.
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitae
  Dignus es, et fato candidiore frui.
Quod pro te ut voveam, miti pietate mereris,
  Haesuraque mihi tempus in omne fide.
Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
  Qualem credibile est ore fuisse meo.
Nostra tuas vidi lacrimas super ora cadentes,
  Tempore quas uno, fidaque verba, dabas.
Nunc quoque submotum studio defendis amicum,
  Et mala vix ulla parte levanda levas.
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
  Exige; amicitias et tibi iunge pares.
Nasonisque tui, quod adhuc non exsulat unum,
  Nomen ama. Scythicus caetera Pontus habet.
Proxima sideribus tellus Erymanthidos Ursae
  Me tenet, adstricto terra perusta gelu.

---

cepit, quia Phaëthon ad maiora adspirabat, non contentus hoc patre, seque Solis filium volebat credi. — notum illud Maronis: [Aen. IX, 644.] *nec te Troia capit.* Claud. de Rufino II, 155. *non orbita solis, non illum natura capit.* Senec. Herc. fur. (960) *non capit terra Herculem.*" Heins. fateor cum Burm. locos paullo diversos esse; sed nihilominus hic verborum est sensus.

v. 32. *Contrahe vela.* i. e. modera cursum. Hor. carm. II, X. ult. *Contrahes vento nimium secundo turgida vela.* Nost. Pont. I, VIII, 72. *Voti contrahe vela tui.*

v. 43. *Vive sine invidia.* fuge sortem claram, hominibus quae solet invidiam parere. hinc Hor. *invidenda aula* et *invidendas postes.*

v. 48. *adstricto gelu* pro adstricta gelu terra, ut Pont. III,

Bosporus et Tanais superant, Scythicaeque paludes,
Vixque satis noti nomina pauca loci.
Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quam vicina est ultima terra mihi!
At longe patria est, longe carissima coniux,
Quidquid et haec nobis post duo dulce fuit.
Sic tamen haec absunt, ut, quae contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos errat domus, Urbs, et forma locorum,
Succeduntque suis singula facta locis.
Coniugis ante oculos, sicut praesentis, imago est,
Illa meos casus ingravat, illa levat.
Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod praestat amorem,
Impositumque sibi firma tuetur onus.
Vos quoque pectoribus nostris haeretis, amici,
Dicere quos cupio nomine quemque suo.
Sed timor officium cautus compescit, et ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.
Ante volebatis, gratique erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
Quod quoniam est anceps, intra mea pectora quemque
Alloquar, et nulli causa timoris ero.

---

326. *coit Ister* adstrictis *aquis.* — v. 49. *superant.* superiores sunt situ. *Bosporum* enim intellige Cimmerium.

v. 69. *anceps,* quoniam nocebit fortasse meum officium, si innotescat vestra erga me amicitia. *anceps* de re periculosa. Corn. Datam. 7. Tacit. Ann. I, 36.

Nec meus indicio latitantes versus amicos
  Protrahet. Occulte, si quis amavit, amet.
Scite tamen, quamvis longa regione remotus,
  Absim, vos animo semper adesse meo.
Et quam quisque potest, aliqua mala nostra levate,
  Fidam proiecto neve negate manum.
Prospera sic maneat vobis fortuna, nec unquam
  Contacti simili sorte rogetis opem.

Trist. III, VIII.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
  Misit in ignotam qui rude semen humum.

---

v. 1. Summum patriae desiderium poëta significans, non solum ut redeat optat, sed ut summa celeritate per aërem eo iter sibi facere liceat. *Triptolemi currus.* Triptolemus Celei filius, quum populis Cereris dona largiretur, curru usus esse dicebatur, a draconibus vecto, cui deinde fortasse ad significandam celeritatem, qua agricultura longe lateque diffusa sit, alae addebantur, ut videre est in haud paucis tam nummis quam vasis, ut in splendidissimo princ. Poniatowsky: vid. tab. aen. ad Böttig. griech. Vasengem. Heft II., Horner Bilder des griechischen Alterthums Heft VI. tab. XXXV.; quod cum fit, dracones interdum absunt. vid. Tischbein, Umrisse griech. Gemälde auf Vasen, tab. VIII. IX. Postremo ipsi serpentes alati fingebantur. cf. quae doctissime disseruit Böttigerus l. l. p. 209 sqq. Ipsam de Triptol. fabul. vid. ap. Nostr. Fast. IV, 506 sqq.

v. 2. *ignotam terram.* peregrinam, quippe qui magnam orbis partem pervagatus esse dicitur. vid. ad III, III, 3. — *rude semen,* cuius tum primum cura suscipiebatur.

Nunc ego Medeae vellem frenare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.
Nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas, Perseu; Daedale, sive tuas.
Ut tenera nostris cedente volatibus aura,
Adspicerem patriae dulce repente solum.
Desertaeque domus vultum, memoresque sodales,
Caraque praecipue coniugis ora mihi.
Stulte, quid o! frustra votis puerilibus optas,
Quae non ulla tibi fertque feretque dies.
Si semel optandum est: Augustum numen adora,
Et, quem sensisti, rite precare deum.
Ille tibi pennasque potest, currusque volucres
Tradere. Det reditum; protinus ales eris.
Si precor haec (neque enim possum maiora precari),
Ne mea sint timeo vota modesta parum.
Forsitan hoc olim, cum se satiaverit ira,
Tum quoque sollicita mente rogandus erit.

---

v. 3. Frenati dracones in ipso vaso Poniat. cf. Fast. IV, 497. Metam. V, 643. De Medea quae post liberorum necem *serpente fugit alite* (Horat. Epod. III, 14.) notissima ex Euripide fabula.

v. 6. Ferebatur Perseus Medusam interfecturus Mercurii talaribus armatus fuisse.

v. 13. *Augustum numen.* pro Augusti ut solet Ovidius vid. Pont. IV, VI, 10. III, I, 165. plura apud Heins. Non aliter dictum puto quam: Helvetia civitas, mulieres Galliae, Latius Iupiter et similia vid. Voſs. ad Caes. B. G. I, XII., Oud. ad eiusd. VII, IX. Burm. ad Virg. Aen. VI, 381. Ramsh. l. G. p. 294.

v. 14. *quem sensisti.* cuius iram expertus es, quo sensu saepius apud Horatium legitur vid. Mitscherl. ad II, VII, 9.

Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me iubeat quolibet ire locis.
Nec coelum, nec aquae faciunt, nec terra, nec aurae.
Heu! mihi perpetuus corpora languor habet:
Seu vitiant artus aegrae contagia mentis,
Sive mei causa est in regione mali.
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia, vixque
Ossa tegit macies, nec iuvat ora cibus.

---

v. 23. *faciunt*, conveniunt, non fero. Locos Ovidii Art. III, 57. *Dum facit ingenium*, et amor. II, IX, 36. *huc tua dextra facit*. laudavit Burm. adde Prop. III, I, 19.

Non faciet *capiti dura corona meo.*

Quoniam tamen absque casu hic poni posse non putabam, huc traxi sequens *mihi* et post hanc vocem distinxi. Hinc etiam scripsi *heu!*

v. 26. *mei mali*. aegritudinis cf. Pont. I, III, 28. Contra Graeci *νόσον* pro quovis malo dicere consueverunt.

v. 27. *vexant insomnia*. insomnia numero plurali dici pro vigiliis mihi non persuadetur, neque ullum vidi locum, qui non aut scriptura aut sensu sit dubius. Insomnium ortum est ex Graeco *ἐνύπνιον*, quare significat *τὸ ἐν ὕπνῳ φάντασμα*. Vigiliarum autem notio repetenda ab adiectivo *insomnis*, a quo substantivum statum significans fieri neutro genere, inauditum putaverim. Neque tamen correctione opus est. non enim de vigiliis queritur, sed de malis et terrificis somniis; id quod certissimum fit loco Epist. ex Pont. I, II, 45.

At, puto, cum requies, medicinaque publica curae
Somnus adest, solitis nox venit orba malis:
Somnia me terrent *veros imitantia casus*
Et vigilant sensus in mea damna mei.

Eodem sensu insomnia sunt apud Tib. III, IV, 1.

Di meliora ferant, nec sint insomnia *vera.*

et Virg. Aen. VI, 897.

Sed falsa ad coelum mittunt insomnia *Manes.*

Quique per auctumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quae nova laesit hiems,
Is mea membra tenet, nec viribus allevor ullis,
Et numquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo, quam corpore, mente; sed aegra est
Utraque pars aeque, binaque damna fero.
Haeret et ante oculos veluti spectabile corpus
Adstans fortunae forma legenda meae.
Cumque locum moresque hominum, cultusque sonumque
Cernimus, et quid sim, quid fuerimque subit,
Tantus amor necis est, querar ut cum Caesaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas.
At quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco.

---

v. 29 sq. Similis comparatio est Pont. I, X, 28.
Membraque sunt cera pallidiora nova.
quo versu abusus est Bentl. ad Horat. Carm. I, XIII, 2.

v. 35 sq. *spectabile corpus.* quod videri potest. Metam. III, 710. spectabilis undique campus. — *forma legenda:* al. *videnda.* nec qui prioris lect. sensus sit dixerim. Nam de decreto Augusti in charta perscripto Heinsium cogitasse, ridiculum est.

v. 39. *Querar ut cum Caes. ira.* al. de Caes. i. „Sed nescio cur mutari debeat elegantissima elocutio, quam firmant ultra viginti codd. et primae edd. ita I. Met. 733. cum *Iove visa queri,* X, 724. *questaque* cum *fatis.* Cic. Verr. II, 23. *Queri* cum *multis, ita ut fit, incipiunt,* et ita ille frequenter, et optimus quisque Latinitatis auctor.“ Burm.

Trist. III, IX.

Hic quoque sunt igitur Graiae (quis crederet?) urbes,
Inter inhumanae nomina barbariae?
Huc quoque Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.
Sed vetus huic nomen, positaque antiquius urbe
Constat ab Absyrti caede fuisse loco.
Nam rate, quae cura pugnacis facta Minervae
Per non tentatas prima cucurrit aquas,
Impia desertum fugiens Medea parentem
Dicitur his remos adplicuisse vadis.
Quem procul ut vidit, tumulo speculator ab alto,
Hospes, ait, nosco, Colchide, vela, venit.

---

v. 1. *Tomorum* nomen a Graeco τέμνειν originem ducere quoniam hic locus sit nefandae Absyrti caedis praeter Nostrum auctor est Stephanus Byz. — Antiquius enim esse nomen loci urbe a Milesiis postea condita.

v. 7. Argo navem peculiari Minervae cura perfectam esse narrat Apoll. Rh. I, 19. Mirum autem eam primam dici, quum mox Aeetes et ipse navi vectus fugientes persequutus esse narretur. vid. ad Amor. II, XI, 1.

v. 12. Vulgata haec lectio, qua Aeetes insectans fit *hospes*, qui ferri possit non video; nec placet Heinsii coniectura *Hostis*, propter violentam tamen verborum disiunctionem. Mallem igitur cum plerisque libris legere, quod olim obtinuit:

Hospes, ait, nosco, Colchide vela dari.

ut *Hospes* sit compellatio Iasonis, speculator autem Colchus fuisse putetur Medeam secutus. Qui quidem omnium optime nosse debuit Colchica vela.

Dum trepidant Minyae, dum solvitur aggere funis,
Dum sequitur celeres ancora tracta manus;
Conscia percussit meritorum pectora Colchis,
Ausa atque ausura multa nefanda manu.
Et quamquam superest ingens audacia menti,
Pallor in attonitae virginis ore sedet.
Ergo ubi prospexit venientia vela, Tenemur,
Et pater est aliqua fraude morandus, ait.
Dum quid agat quaerit, dum versat in omnia vultus,
Ad fratrem casu lumina flexa tulit.
Cuius ut oblata est praesentia: Vincimus, inquit,
Hic mihi morte sua causa salutis erit.
Protinus ignari, nec quidquam tale timentis,
Innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
Dissipat, in multis invenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto,
Pallentesque manus, sanguineumque caput.
Ut genitor luctuque novo tardetur, et artus,
Dum legit exstinctos, triste retardet iter.

---

v. 13. *Minyae* cur Argonautae dicantur, disceptant. Litem autem diremisse videtur Müllerus, qui e Minyarum gente Iasonem atque alios, ipsam Iolcon coloniam Minyarum fuisse docuit. vid. Gesch. Hell. Stämme tom. I. p. 258 sq. cf. 248 sqq. — *aggere.* cf. Met. XV, 592.

v. 19. *Prospexit:* procul vidit. Virg. Aen. VI, 357. *Vix lumine quarto* prospexi *Italiam.* — *tenemur et p. est a. f. morandus.* Heinsius coniecit. *tenemur, aut pater etc.* Puto tamen vulgatam recte habere et sensum esse: Proxime adsunt ut effugere non possimus; *quare* fraude aliqua opus est.

v. 31. *luctu novo.* quia scil. ipsam iam Medeae fugam dolebat.

Inde Tomis dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Trist. III, X.

Si quis adhuc istic meminit Nasonis ademti,
Et superest sine me nomen in Urbe meum;
Suppositum stellis nunquam tangentibus aequor
Me sciat in media vivere barbaria.
Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique, Getae-
que,
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro,
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis hiems squalentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu est:

---

v. 33. *Tomis.* Triplicem huius nominis formam notarunt vv. dd. Hanc nostram quae est etiam Pont. IV, XIV, 59. et apud Strabonem VII, 6. (sed ibi ut apud Stephanum hodie legitur *Τομεύς.*) alteram *Tomi* quae est apud Ptol. et plerosque, tertiam *Tomos* quod apud Plin. legi aiunt. Nisi hoc ortum e Graeca forma *Tomoe* ut est apud Pomp. Melam. Hodie vocatur *Tomiswar.*

v. 1. Inter omnes, quibus de coeli saevitia poëta queritur, huic primum locum concedo elegiae propter vividam rei narrationem et minorem tamen loquacitatem. Videtur prima exilii hyeme scripta, alioquin vix tanto stupore pontum glacie concretum narraret. — v. 3. *nunquam tangentibus aequor* vid. ad I, II, 29.

v. 5. *Bessos* satis remotos a Tomis pro quovis illius regionis populo dictos puta. — v. 7. *medio Istro.* interiecto.

v. 9. *Squalentia protulit ora.* Hor. Epod. II, 17. *cum decorum mitibus pomis* caput *auctumnus arvis* extulit. cf. Sat I, VIII, 21. *Simul ac vaga Luna decorum* protulit os. — v. 10. *marmoreum gelu.* durum, quod terram reddit marmoream. cf. Fast. IV, 918.

[Dum patet et Boreas, et nix iniecta sub Arcto,
Tum liquet has gentes axe tremente premi.]
Nix iacet, et iactam non sol, pluviaeque resolvunt;
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit,
Et solet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Aequet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus et sutis arcent mala frigora bracis,
Oraque de toto corpore sola patent.
Saepe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu.
Nudaque consistunt, formam servantia testae,
Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
Deque lacu fragiles effodiantur aquae?
Ipse papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto,
Caeruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, et tectis in mare serpit aquis.

---

v. 11 sqq. Hoc distichon adulterinum Heins., corruptum censuit Burm. Mihi ferri posse videtur, modo legatur: *Tum patet et B.* et si cui praeplaceat e Mss. *nox.* — *patet.* φανερός ἐστιν.

v. 23. *Nudaque consistunt.* Heins. e coniectura dedit *uda:* firmans Virgiliano: *caeduntque securibus humida vina.* Sed recte Burm. *nuda* defendit; sunt enim frigore concreta, nullaque testa vestita.

v. 27. Ipse Ister, qui papyrifero amni, i. e. Nilo latitudine par est, gelu consistit. — v. 28. *multa per ora.* ostiis plura habens. Quid igitur mirum si quis pluribus capitibus Istrum sibi finxit? An hinc ostia fluviorum capita dici evincas? vid. ad I, VIII, 1.

Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar; sed cum sint praemia falsi
Nulla, ratam testis debet habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est, durum calcavimus aequor,
Undaque non udo sub pede summa fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustae mors tua crimen aquae.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere; conantes dura coërcet hiems.
Et quamquam Boreas iactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.
Inclusaeque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,
Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreae vis saeva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas:
Protinus aequato siccis Aquilonibus Istro
Invehitur celeri barbarus hostis equo.

---

v. 38. *Lubrica testa.* alii *crusta* ut Virg. Georg. III, 360. — v. 42. *angustae aquae.* Hellespontus quem Leander nando traiiciens periit, quare ipsius hoc maris crimen vocat poëta.

v. 45. *Boreas* alatus commentum est poëtae, unde ventis a vett. alas tributas esse falso colligas. De simulacris ventorum quae nostra manserunt tempora vid. Winkelm. Werke Bd. II. p. 568.

Hostis equo pollens, longeque volante sagitta
  Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii, nullisque tuentibus agros
  Incustoditae diripiuntur opes.
Ruris opes parvae, pecus et stridentia plaustra,
  Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
  Respiciens frustra rura Laremque suum.
Pars cadit hamatis misere confixa sagittis,
  Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quae nequeunt secum ferre, aut abducere, perdunt,
  Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tum quoque, cum pax est, trepidant formidine belli,
  Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem,
  Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra,
  Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat regio, nec haberet Acontius, in quo
  Scriberet hic dominae verba legenda suae.

---

v. 61. *Pars* respondet praecedenti *alii*. Tacit. Hist. IV, 23. *ut alii superstantes — proeliarentur, pars intus occulti muros subruerent.*

v. 73. *Nec haberet Acontius.* Nota ex Heroid. XX. et XXI. Acontii historia, qui Cydippes amore flagrans in malo Cydonio inscripsit: iuro me Acontii fore coniugem. Quae verba quum Cydippe in sacro Dianae alta voce legisset, iureiurando se obstrictam sensit.

Adspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.
Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo tam late pateat cum maximus orbis,
Haec est in poenam terra reperta meam.

Trist. III, XII.

Frigora iam Zephyri minuunt, annoque peracto
Longior antiquis visa Maeotis hiems.

---

v. 1. Vere novo, quum mitescere coepissent frigora, recordatus poëta gaudiorum, quibus hoc tempore Romae tenerentur homines, sortem suam deflet, cui non nisi nive et glacie liquescentibus veris reditus sentiatur. Attamen se quoque ob hiemem fugatam laetari, quum iam spes sit, adfore ex aliis regionibus, forsitan ex ipsa Italia, naves, a quorum vectoribus, protinus hospitio sibi excipiendis, de rebus Romanis certior fieri possit. Scriptam autem puto post primam exsilii hiemem. — Comparasse iuvabit cum hoc carmine Fast. III, 235 sqq. Horat. carm. I, IV. IV, VII.

v. 2. *longior — hiems.* De scriptura huius versus fere omnes Ovidii editores dubitarunt, aliique in voce *visa*, alii in *Maeotis* vitium quaesiverunt. — Correptam in Maeotis primam syllabam non est quod tantopere miremur. Nam apud Graecos correptio diphthongi ante vocalem in mediis verbis frequens est; (ut *γε-ραιᾶς χειρὸς προσλαζύμεναι.* Eurip. Hec. 64. et *ξείνου πά-τρῴου φυλακαῖσιν* v. 78. ubi vid. Matth. cf. Herm. Elem. p. 50.) et in nominibus propriis maiore utuntur poëtae licentia. (cf. Virg. Aen. I, 343. Sychaeus. v. 348. Sychaeus.) Adde quod in fine vocabuli sequente altera vocali literam priorem Graeco more interdum corripere non dubitabant. Virg. Ecl. III, 79.

Et, longum formose văle, văle, inquit, *Iola.*

Ovid. Amor. II, XIII.

Lenis ades, precibusque meis făve, Ilithyia. —

Ipsam autem orationem interiectis his verbis admodum languidam fieri non diffiteor, sed qui restitui possit in melius non

Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aequa diurna facit.
Iam violam puerique legunt hilaresque puellae,
Rustica quam nullo terra serente gerit.
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
Utque malae crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas, parvaque tecta facit.
Herbaque, quae latuit Cerealibus obruta sulcis,
Exerit e tepida molle cacumen humo.
Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur;
Nam procul a Getico littore vitis abest.

---

video. — *antiquis*, i. e. prioribus, hieme peracta, quem usum pluribus Nostri locis (ut Metam. I, 116. Trist. I, V, 62.) comprobavit Burm. Ita Virg. Aen. VI, 633. Tyrum Didus vocat *antiquam patriam*. Terent. Andr. IV, V, 22. *antiquam obtines*. cf. Pont. IV, II, 87.

v. 3. *qui non bene p. Hellen*. Arietem, quo Helle fretum, nomine suo deinde appellatum, traiiciens decidit, inter duodena astra relatum fuisse, notum est; hinc aequat dies noctibus. — *non bene*, i. e. non ut saepius *male*.

v. 5 sq. Cave haec de Scythia intelligas, cuius quae vere sit facies indicant vv. 27 sq. — *rustica terra* offensae erat Burmanno. Opponi autem videtur culto horto, quum in pratis nullo cultu proveniant violae. In aliis tamen ll. est: *Rustica quae nullo nata serente venit*.

v. 7 sq. *pubescunt*, dum herbae proveniunt et adolescunt. Cic. Nat. Deor. II, 19. Pubescunt, maturitatemque assequuntur, quae oriuntur e terra. — *indocile guttur* quid sit, vid. ad IV, I, 6. — *vernat*, vere redit aut canere rursus incipit. Lusciniam sine dubio intelligendum esse, est qui praecipiat. Quid, si cui upupa praeplaceat?! —

v. 9. *malae matris*: Procnes, cuius fabulam vid. Metam. IV, 620 sqq. ab ea enim, in avem mutata, hirundinum genus *ortum*.

Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus:
Nam procul a Geticis finibus arbor abest.
Otia nunc istic, iunctisque ex ordine ludis
Cedunt verbosi garrula bella fori.
Usus equi nunc est, levibus nunc luditur armis,
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus.
Nunc, ubi perfusa est oleo labente iuventus,
Defessos artus Virgine tinguit aqua.
Scena viget, studiisque favor distantibus ardet,
Proque tribus resonant terna theatra foris.

---

v. 17. *istic*. i. e. Romae. cf. III, III, 25. — *Ludis*. Megalesia dicit, quae si Ovidio (Fast. IV, 179 sqq.) fides prid. Non. Apr. (cf. tamen Liv. XXIX, 14.). in Magnae Matris (*μεγάλης μητρός*) honorem ludis scenicis celebrabantur. quod notum vel e didascaliis comoed. Terent. Caeterum Burmannus per *iunctos e. o. ludos* non sola Megalesia intelligit, sed et Cerealia et Floralia. — De trocho vid. Forc. in Lex. et quos laudavit Mitscherl. ad Hor. III, XXIV, 57.

v. 18. *Garrula bella*. vid. ad IV, X. Fast. l. l. v. 188.

Et fora Marte suo litigiosa vacent.

v. 21. Nunc post lusus palaestrae reficiunt corpora frigida aqua. — *oleo labente*, quod diffluit per totum corpus. Virg. Aen. III, 281.

Exercent patrias oleo labente *palaestras*.

v. 22. *Virgine aqua*. Ita vocabatur ex aquae ductibus, qui Romae erant, unus, quia a virgine eius venae monstratae ferebantur. vid. Front. de aquaed. art. X. erat autem ea aqua gelidissima. Plin. XXXI, 5.

v. 24. *Tria fora* intellige iudicialia. Romanum, Caesaris et Augusti. *Hinc triplex forum* Mart. III, 38. — *Theatra* autem *terna* sunt; Pompeii, qui primus a. U. IↃCLXXXIX mansuram theatri sedem posuit (Tacit. Ann. XIV, 20.) Marcelli, ab Augusto

O quater, et quoties non est numerare, beatum,
Non interdicta cui licet Urbe frui!
At mihi sentitur nix verno Sole soluta,
Quaeque lacu duro vix fodiantur aquae.
Nec mare concrescit glacie, nec, ut ante, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.
Incipient aliquae tamen huc adnare carinae,
Hospitaque in Ponti litore puppis erit.
Sedulus occurram nautae, dictaque salute,
Quid veniat quaeram? quisve, quibusve locis.
Ille quidem mirum ni de regione propinqua,
Non nisi vicinas tutus ararit aquas.
Rarus ab Italia tantum mare navita transit,
Litora rarus in haec portubus orba venit.
Sive tamen Graia scierit, sive ille Latina
Voce loqui; certe gratior huius erit.
Fas quoque ab ore freti, longaeque Propontidos undis
Huc aliquem certo vela dedisse Noto.

iuxta aedem Pietatis exstructum. (cf. Suet. Aug. XXIX.) et Balbi, quamquam huic alii Statilii Tauri, amphitheatrum substituunt. — *resonant* applausu puto quo viri populo dilecti excipiebantur. vid. quos laudavi locos ad I, IX, 13. Inde etiam intelligitur, quid sit *favor ardens studiis distantibus.*

v. 27. At hic loci sola veris redeuntis signa sunt nix et aquae aura tepente liquefactae; per hiemem enim vix fodiendo flumina invenies aquam.

v. 35. *mirum ni.* vid. Bentl. ad Hor. Sat. II, I, 55. quo loco simul Heinsium refutavit pro *tutus* hic scribentem ex uno cod. *cautus.* Horat. ad Pisones v. 28.

Serpit humi tutus *nimium timidusque procellae.*

v. 40. *Gratior huius.* Alii *usus* cum ant. edd. quod probo.

Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
Et fieri famae parsque, gradusque potest.
Is precor auditos possit narrare triumphos
Caesaris, et Latio reddita vota Iovi.
Teque rebellatrix tandem Germania magni
Triste caput pedibus supposuisse Ducis.
Haec mihi qui referet, quae non vidisse dolebo,
Ille meae domui protinus hospes erit.
Hei mihi! iamne domus Scythico Nasonis in orbe
Iamque suum mihi dat pro Lare poena locum?
Di facite, ut Caesar non hic penetrale domumque,
Hospitium poenae sed velit esse meae.

v. 44. *famae parsque gradusque*, i. e. ipsi aliqua fama redundabit. — Quod autem in iis triumphis Augusti sibi narrari cupit, non puto eum ad certam quandam expeditionem respexisse. Quippe reliquo orbe pacato, perpetua cum Germaniae populis bella erant. — v. 46. *Latius* Iupiter est Capitolinus.

Trist. IV, I.

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore lector habe.
Exsul eram, requiesque mihi, non fama petita est;
Mens intenta suis ne foret usque malis.
Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus,
Cantat et innitens limosae pronus arenae,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.

---

v. 1. Ut vitiorum, quae non pauca in his scriptis inesse fateatur, a lectoribus veniam petat, monet non gloriae concupiscendae, sed decipiendorum malorum causa se scripsisse. Secutam in exilium Musam unicum sibi esse solatium. Mala enim quae passus sit et etiamnum patiatur innumera esse, quum inter ferocissimos sibi vivendum sit populos, nunquam ab insidiis tuto; ita ut qui iuvenis arma fugerit, iam senili aetate iis adsuescere cogatur. v. 71–76.

Aspera militiae iuvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.
Nunc senior gladioque latus scutoque sinistram,
Canitiem galeae subiicioque meam.

Quae casu nescio quo adponere neglexeram ad IV, X, 106. Iis enim certissima fit quam ibi proposui loci explicationem.

v. 5. 6. Exemplis rudissimorum hominum, et qui duris premantur laboribus, comprobat ipsam hominis naturam ad poësin ferre, et cantando optime tempus falli. — *indocili numero.* rudibus et indoctis modis. Supra erat III, XII, 8.

Indocili*que loquax gutture vernat avis.*

i. e. nativis modis, quos non arte didicit.

v. 7. *Cantat et.* Cantet Heins. et Burm. ut pendeat a praecedenti *cur.* An vero etiam *verset* scribamus, quod intactum reliquerunt. Scilicet sequens *mulcet* impedimento erat! — Spondaeis in his versibus utitur, ad laborem significandum, quo

Quique ferens pariter lentos ad pectora remos,
  In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus ut incubuit baculo, saxove resedit,
  Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
  Fallitur ancillae decipiturque labor.
Fertur et abducta Lyrnesside tristis Achilles
  Haemonia curas attenuasse lyra.
Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo
  Saxa, bis amissa coniuge moestus erat.

---

navis provehatur; quod maiore etiam arte expressit Virgilius. Georg. I, 201.

> *Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum*
> *Remigio subigit.*

v. 9. *lenti remi*, quia lente, vix, *μόγις* iis promovetur navis. — v. 10. *in numerum. ἐν ῥυθμῷ.*

v. 13. *pariter — pariter* pro simul, uno eodemque tempore. Noster Metam. VIII, 324,

> *Hanc* pariter *vidit* pariter *Calydonius heros*
> *Optavit.*

data pensa, lanae scil. quotidie nendae, quod servilis conditionis est signum. Fast. II, 743.

> *Lumen ad exiguum famulae* data pensa *trahebant.*

Hinc Europe apud Hor. carm. III, XXVII, 63. *nisi herile mavis carpere* pensum.

v. 15. 16. Nota res ex Iliade. IX, 186.

> *Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ.*

Haemonia sive Thracia, quoniam Orpheus Thrax eam si non invenisse tamen pleniorem reddidisse ferebatur. — Achilles autem eam

> *— ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας.*

v. 17. De Orpheo vid. Nostr. Metam. X. init. Caeterum novam et ingeniosam cognatae de Amphione fabulae explicationem vide apud Ottfr. Müller Gesch. Hell. St. tom. I. p. 242.

Me quoque Musa levat Ponti loca iussa petentem;
Sola comes nostrae perstitit illa fugae.
Sola nec insidias hominum, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.
Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error,
Et culpam in facto, non scelus esse meo.
Scilicet hoc ipso nunc aequa, quod obfuit ante,
Cum mecum iuncti criminis acta rea est.
Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum.
Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa Sororum,
Et carmen demens carmine laesus amo.

---

v. 21. In summa scripturae varietate, quum vera vix erui posse videretur, omnesque lectiones eodem fere redirent, Burmannianam dedi.

v. 23. *quis error*. In tribus Burmanni erat *qui error*, quod verius videri poterat propter additum substantivum. Sed tantum abest ut recipiendum existimem, ut ne potuisse quidem ita scribi putem. Ponitur enim quis addito substantivo, ubi nomen rei requiritur ut in illo Ciceronis. Div. I, 43. *quis rex unquam fuit, quis populus* etc.? i. e. nenne mir den König, nenne mir das Volk. Nec si sceleris nomine dignum censuisset crimen suum, dixisset: *quod scelus*, sed *quid sceleris*.

v. 26. *iuncti criminis rea*. i. e. culpae socia est iudicata, quia scil. ipsa Nasonis quaedam carmina damnabantur. — *reum agere* est accusare. Heroid. XIV, 120.

Quid flet sonti cum rea *laudis* agar.

i. e. rei laudabilis. XVI, 324.

Ipse reus sine te criminis huius agar.

v. 27—30. Praestitit sane nunquam poësi operam dedisse, sed nunc Musis adsuetus fugere eas nequeo. — *manum imposuisse*. Graecum ἐπιχειρεῖν. Pont. IV, VIII, 82.

Atque iisdem studiis imposuisse manum.

Sic nova Dulichio lotos gustata palato
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit.
Sentit amans sua damna fere, tamen haeret in illis,
Materiam culpae persequiturque suae.
Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli;
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.
Forsitan hoc studium possit furor esse videri,
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat esse malorum,
Praesentis casus immemoremque facit.
Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus,
Dum stupet Edonis exululata iugis;

---

v. 31. *Dulichio lotos g. palato.* De loto, cuius suavitas patriae immemores fecit Ulixis socios, nota fabula vid. Odyss. IX, 82 sqq. *Dulichium* dixit Ithacae loco, cui erat vicina. Hom. l. l. v. 22.

— — — ἀμφὶ δὲ νῆσοι
πολλαὶ ναιετάουσι μάλα σχεδὸν ἀλλήλῃσιν,
Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

Eadem licentia Virg. Ecl. VI, 76. dixit Dulichias rates, atque ita plus semel Propertius. vid. Broukh. ad II, XI, 4.

v. 33. *fere.* h. l. est id quod plerumque. Cic. Inv. I, XXIX: *Probabile est id, quod fere fit.* Hor. Epist. I, XIX, 5.

Vina fere *dulces oluerunt mane Camoenae.*

Terent. Phorm. II, III, 16. *Ruri* fere *se continebat*, et addito per pleonasmum *plerumque:* I, II, 39. *hic solebamus* fere plerumque *eum opperiri.* — *haeret*, quia non potest avelli.

v. 34. *Materia* est causa, ut saepius apud Nostrum et alios: cf. II, 32. Metam. II, 213. Sall. Cat. X. Liv. XXXV, 12.

v. 41. 42. *Bacchis* al. *Bacche.* Priorem formam ex Aristot. Plut. et Hesych. apud quos sit Βακχίς, firmare conatus est Heins. — *Edonis* ex uno cod. reposuit Heinsius. Caeteri *Idaeis*, quod tueri possit loco Stat. Theb. V, 92 sq.

Sic, ubi mota calent viridi mea pectora thyrso,
  Altior humano spiritus ille malo est.
Ille nec exsilium, Scythici nec litora Ponti,
  Ille nec iratos sentit adesse deos.
Utque soporiferae biberem si pocula Lethes,
  Temporis adversi sic mihi sensus hebet.

— — — veluti Theumesia Thyas
Rapta deo cum sacra vocant, Idaeaque *suadet*
Buxus et a summis auditus montibus Evan.

Edon mons Thraciae, pars Haemi. Caeterum egregiis coloribus rem ornavit, furoremque, quo corriperentur Bacchae, verissime pinxit. Vide modo insanos earum in marmoribus motus. August. tom. III. tab. CXIII - CXV. Winkelm. W. Bd. VI. tab. III.

v. 43. *mota calent pectora. mota* sunt turbata, concitata divino afflatu, *ἐνθουσιασμῷ.* Tib. I, VII, 51. (VI, 45.):
Haec ubi Bellonae motu est agitata, *nec acrem*
Flammam, non amens verbera torta timet.
ubi vid. Broukh. et Wunderl. — *calent*, ut Fast. VI, 5.
Est deus in nobis, agitante calescimus *illo.*
Ita apud Virg. Aen. I, 50. *flammatum* (ira) *cor.* vid. et Mitscherl. ad Hor. carm. I, IV, 19. — *thyrso*, cui scil. numen inesset. Sic Fast. IV, 45.
Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto
Contigit. — et subito causae patuere dierum.
v. 44. *spiritus ille*, quem iniecit mihi thyrsus.

v. 47 sq. *soporiferae Lethes.* quia scil. torporem animo obiicit, et cuius ad undam, ut ait Virg. Aen. VI, 715.
Securos latices et longa oblivia potant.
Quae conditio quum sopori esset non dissimilis, soporifera sive somnifera vocari coepit, ut apud Horatium Epod. XIV, 3. *pocula Lethaeos ducentia* somnos, et passim apud alios. Sic Noster Pont. IV, I, 17. Lethen dixit hebetantem pectora. — v. 48. *sensus hebet.* ut mala non sentiam. Cic. ad Brut. ep. IX. *carere omni sensu doloris.*

Iure deas igitur veneror mala nostra levantes,
Sollicitae comites ex Helicone fugae:
Et partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignatas, vel pede, nostra sequi.
Sint precor hae saltem faciles mihi; namque deorum
Caetera cum magno Caesare turba facit.
Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas,
Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.
Vere prius flores, aestu numerabis aristas,
Poma per auctumnum frigoribusque nives:
Quam mala, quae toto patior iactatus in orbe,
Dum miser Euxini litora laeva peto.
Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum est;
Huc quoque sunt nostras fata secuta vias.
Hic quoque cognosco natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.
Utque nec insidias, capitisque pericula narrem,
Vera quidem, vera sed graviora fide:
Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque,
Illi, qui populi semper in ore fuit!

---

v. 54. *cum Caesare facit.* ex Caesaris stat partibus, meque deseruit. Art. am. III, 762.

Cum Veneris puero non male Bacche facis.

Ad vv. sqq. cf. quae adnotavi ad IV, X, 107.

v. 63 sq. Neque vero huc delatus malis vaco. Hic quoque, quam tristia mihi Parcae duxerint fila, intelligo. cf. V, X, 45. quare nigra eas nevisse sibi vellera dicit, qui color mali est ominis. Nam Genium etiam in calamitatibus atro fingebant vultu. vid. Hor. Epist. II, II, 189. — v. 66. Al. leg. *Vera quidem vidi.*

Quam miserum, porta vitam muroque tueri,
  Vixque sui tutum viribus esse loci!
Aspera militiae iuvenis certamina fugi,
  Nec nisi lusura movimus arma manu:
Nunc senior gladioque latus, scutoque sinistram,
  Canitiem galeae subiicioque meam.
Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus,
  Induimur trepida protinus arma manu.
Hostis, habens arcus, imbutaque tela veneno,
  Saevus anhelanti moenia lustrat equo.
Utque rapax pecudem, quae se non texit ovili,
  Per sata, per silvas, fertque trahitque lupus;
Sic, si quem nondum portarum sepe receptum
  Barbarus in campis reperit hostis, agit.
Aut sequitur captus, coniectaque vincula collo
  Accipit, aut telo virus habente cadit.
Hic ego sollicitae iaceo novus incola sedis:
  Heu nimium fati tempora lenta mei!
Et tamen ad numeros antiquaque sacra reverti
  Sustinet in tantis hospita Musa malis.
Sed neque cui recitem quisquam est mea carmina, nec qui
  Auribus accipiat verba Latina suis.
Ipse mihi (quid enim faciam?) scriboque legoque,
  Tutaque iudicio litera nostra suo est.

---

v. 76. *Induimur,* ita dedit Heins. al. induimus. Cum sqq. comp. Pont. I, II, 19 sq. Virg. Aen. IX, 59 sqq.

v. 92. *iudicio suo:* i. e. quum ipse auctor iudex etiam sim.

Saepe tamen dixi, Cui nunc haec cura laborat?
  An mea Sauromatae scripta Getaeque legent?
Saepe etiam lacrimae me sunt scribente profusae,
  Humidaque est fletu litera facta meo.
Corque vetusta meum, tanquam nova, vulnera sentit,
  Inque sinum moestae labitur imber aquae.
Cum vice mutata quid sim, fuerimque recordor,
  Et tulerit quo me casus, et unde, subit;
Saepe manus demens, studiis irata malignis,
  Misit in arsuros carmina nostra focos.
Atque ita de multis, quoniam non multa supersunt,
  Cum venia facito, quisquis es, ista legas.
Tu quoque non melius, quam sunt mea tempora, carmen
  Interdicta mihi consule Roma boni.

---

v. 99. *quid sim quid fuerimque.* al. *qui* vel *quis.* Noster Metam, II, 551.

Quid fuerim, quid simque vide.

Trist. V, X.

Ut sumus in Ponto ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter unda maris.
At mihi iam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troia sub hoste fuit.
Stare putes, adeo procedunt tempora tarde:
Et peragit lentis passibus annus iter.
Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert:
Efficit angustos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura novata est,
Cumque meis curis omnia longa facit.
Num peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis vitae tempora dura meae?

---

v. 1. Vivendum sibi esse in asperrimis locis, queritur, quae tantum faciant ad gravanda sua mala, ut non tertiam sed decimam hiemem ibi agere sibi videatur. Deinde transit ad exponendos illius gentis mores, in quibus Graecos etiam, qui pauci ibi versentur, degenerasse ait. — *Ut sumus:* ex quo. Senec. Troad. v. 76.

Decumas secuit messor aristas,
Ut *nulla dies moerore caret.*

v. 4. *sub hoste* fuisse dicuntur Troiani, quoniam a Graecis oppugnabantur, ut ipsis essent quodammodo obnoxii. Non multum differt Graecorum usus in *ὑπὸ διδασκάλῳ εἶναι,* atque aliis hoc genus phrasibus.

v. 9 sqq. *In nobis* i. e. ad me quod attinet, mutata est rerum natura, ut longiora omnia videantur tempora. An potius solito motu coeli sidera peragunt annum, et in me ipso, qui curis sum plenus, in vita mea iam duriore causa quaerenda est? — *novata.* mutata. ut Met. IV, 540. *faciem novare.* — *communia tempora* intell. diem et noctem. — *sidera* legendum coniecit Burmannus.

Quem tenet Euxini mendax cognomine litus,
  Et Scythici vere terra sinistra freti.
Innumerae circa gentes fera bella minantur,
  Quae sibi non rapto vivere turpe putant.
Nil extra tutum est, tumulus defenditur aegre
  Moenibus exiguis, ingenioque loci.
Cum minime credas, ut aves densissimus hostis
  Advolat, et praedam vix bene visus agit.
Saepe intra muros clausis venientia portis
  Per medias legimus noxia tela vias.
Est igitur rarus, qui rus colere audeat, isque
  'Hac arat infelix, hac tenet arma manu.'

---

v. 13. *mendax cognomine.* quod *εὔξεινον* vocatur, quum potius *ἀξένου* nomine dignum sit. Atque ita nominatum olim fuisse a saevitia incolarum, qui hospites immolari consueverint (cf. Pont. III, II.) scriptores tradunt. Strab. VII, III. *Σκυθῶν μὲν γὰρ μὴ μεμνῆσθαι κατ' ἄγνοιάν φασι, μηδὲ τῆς περὶ τοὺς ξένους ὠμότητος αὐτῶν, καταθυόντων καὶ σαρκοφαγούντων, καὶ τοῖς κρανίοις ἐκπώμασι χρωμένων, δι' οὓς Ἄξενος ὠνομάζετο ὁ Πόντος.* Pomp. Mel. I, XIX. *olim ex colentium saevo admodum ingenio* Axenus, *post, commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus* Euxinus. Nimirum deductis in has partes Graecis colonis. cf. Trist. IV, IV, 55 sq. III, XIII, 28. Eurip. Iphig. Taur. v. 331. — v. 14. *vere sinistra.* vid. ad IV, X, 97.

v. 19. *ut aves*, al. avis, facili errore ob sequentem sing. *hostis*, qui collectivus est.

v. 22. *noxia tela* sunt veneno imbuta. vid. ad IV, X, 44.

v. 24. *Hac arat — hac tenet arma.* Exemplum tam miserae inter barbaros illos agriculturae habes in saltatione *καρπαίᾳ* dicta apud Xenoph. Anab. VI, I, 8. *ὁ μὲν παραθέμενος τὰ ὅπλα σπείρει καὶ ζευγηλατεῖ, πυκνὰ μεταστρεφόμενος, ὡς φοβούμενος. λῃστὴς δὲ προσέρχεται· ὁ δὲ, ἐπειδὰν προΐδηται, ἀπαντᾷ ἁρπάσας τὰ ὅπλα, καὶ μάχεται πρὸ τοῦ ζεύγους· κ. τ. λ.*

Sub galea pastor iunctis pice cantat avenis,
  Proque lupo pavidae bella verentur oves.
Vix ope castelli defendimur; et tamen intus
  Mista facit Graiis barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
  Barbarus, et tecti plus quoque parte tenet.
Quos ut non timeas, possis odisse videndo,
  Pellibus et longa tempora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe,
  Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
Exercent illi sociae commercia linguae,
  Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli:
  Et rident stolidi verba Latina Getae.
Meque palam tuto de me mala saepe loquuntur,
  Forsitan obiiciunt exsiliumque mihi.

---

v. 27–32. Neque extimescendos tantum eos, qui circum circa habitent, esse barbaros, sed in urbe etiam plurimam turbam non minus esse terribilem, quorum ipse cultus habitusque terrorem atque odium iniicere possit. Et quum tales sint, nihilominus unam cum iis sibi habitandam esse domum, cuius etiam maiorem partem teneant.

v. 34. *Persica bracca*, quod vestimenti genus tam Graeci quam Romani ut barbarum respuerunt. Sera demum post Augustum aetate Romanis in usum venit. vid. Casaub. ad Suet. Aug. LXXXII. Laxior autem erat tum *Persarum* bracca, tum *Getarum*, Corallorum, Sauromatarum; etiam Celtarum. vid. Böttig. Griech. Vaseng. Heft III. p. 185.

v. 39. *mala loquuntur.* al. *male*, quod recte reiecit Burmannus. Fallitur tamen et hic nonnihil, quum comparato Terentiano *mala ingerere* (Andr. IV, I, 16.) aliisque quibusdam locis, *mala* interpretatur *convicia*. E proximo enim versu intelligitur, idem fere esse quod *crimina* sive *turpia*, nostrum Böses.

Utque fit, in me aliquid si quid dicentibus illis
 Abnuerim, quoties adnuerimque, putant.
Adde, quod iniustum rigido ius dicitur ense,
 Dantur et in medio vulnera saepe foro.
O duram Lachesin, quae tam grave sidus habenti
 Fila dedit vitae non breviora meae.
Quod patriae vultu, vestroque caremus amici,
 Quodque hic in Scythicis finibus esse queror;
Utraque poena gravis, merui tamen Urbe carere,
 Non merui tali forsitan esse loco.
Quid loquor ah! demens? ipsam quoque perdere vitam
 Caesaris offenso numine dignus eram.

---

v. 41. 42. Commentitium Heinsius, corruptum Burmannus iudicavere hoc distichon, quorum neutri adsentio. Inducti autem cum caeteris in errorem videntur eo, quod coniungenda existimabant: *in me aliquid putant*, quod ipsum est absurdum; deinde quod fefellit eos opponi sibi *dicere* et *putare*. Quae si teneas nihil iam tibi residuum erit difficultatis. Ordo enim verborum hic est: Et ut fit (fieri solet inter homines), si quid, dicentibus illis aliquid in me, abnuerim, sive adnuerim, putant tamen (cogitant tamen, etiamsi non eloquuntur). Quare recedendum erat ab edd. in verbis distinguendis. Quod si quis tamen abstinere a coniectura non possit, legat me non invito: si quid d. i. abnuerim, quoties abnuerimque.

43. *iniustum ius.* fere ut apud Sophocl. Aiac. v. 665. *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα* et Oed. R. v. 1214. *ἄγαμος γάμος.*

v. 45. *tam grave sidus.* res explicanda ex astrologorum commentis. — *Lachesis* autem pro Parcis in universum dicta est, ut supra Thalia pro Musa.

Epistolarum ex Ponto Lib. III, I.

UXORI.

Aequor Iasonio pulsatum remige primum,
  Quaeque nec hoste fero, nec nive terra cares.
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam,
  In minus hostilem iussus abire locum?
An mihi barbaria vivendum semper in ista?
  Inque Tomitana condar oportet humo?
Pace tua, si pax ulla est tibi, Pontica tellus,
  Finitimus rapido quam terit hostis equo:

---

v. 1. De loci iniquitate graviter conquestus, nunquamne futurum sit tempus, quo in placidiorem locum abire liceat, quaerit. Deinde uxorem paene indignabundus increpat, quae nondum etiam precibus suis et curis poenae mitigationem effecerit. Caveat, monet, ne laudibus, quibus toties eam in carminibus suis celebraverit, indigna deprehendatur, sed supplex potius Liviam atque Augustum adeat, nec desistat, prius quam exoraverit, et minus triste viro impetaverit exsilium. — *Iasonio p. r. primum.* Quod mare prima tentavit Argo. Eam autem primam omnium fuisse navem poëtica levitate affirmat Amor. II, XI, 1 sq. cf. Am. I, XV, 21. Met. VI, extr. quamquam aliis locis Cadmum Danaumque navibus in Graeciam advectos tradiderat. cf. Trist. III, IX, 8.

v. 7. *Pace tua.* Notissima hac formula, qua utebantur, qui vererentur, ne dictis factisve iram alicuius excitarent, utitur ad illi-

Pace tua dixisse velim; tu pessima duro
Pars es in exsilio; tu mala nostra gravas.
Tu neque Ver sentis cinctum florente corona;
Tu neque messorum corpora nuda vides.
Nec tibi pampineas Auctumnus porrigit uvas;
Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
Tu glacie freta vincta tenes, et in aequore piscis
Inclusus tecta saepe natavit aqua.
Nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini:
Qui potus dubium sistat alatne sitim.
Rara, nec haec felix, in apertis eminet arvis

---

gandam quam rhetores dicunt annominationem. Qua in re si quis lusisse poëtam dicat, at eleganter lusit.

v. 12 sqq. Locus simillimus est Metam. II, 27 sqq.

Verque novum stabat, cinctum florente corona,
Stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat.
Stabat et Auctumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis Hiems canos hirsuta capillos.

v. 17. *laticis nisi paene marini.* De fontium vili sapore pluribus locis queritur. cf. Pont. II, VII, 74. Trist. III, III, 7. III, VII, 23.

v. 19. *neque haec felix.* Et si qua rarae cernuntur arbores, ne spera fertiles fore fructibus. *felix* enim est fertilis, infelix sterilis. Horat. Epod. II, 11.

Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores *inserit.*

Virg. Georg. II, 314. *infelix oleaster.* atque ita apud eundem aliquoties. vid. Turneb. ad Cic. pro Rabir. perd. reo c. IV. Loci sterilitatem testatur etiam I, VII, 13.

Nos habeat regio nec pomo foeta nec uvis.

apertis arvis. immensum, quoque te vertas, est aequor, sive planities neque collibus ullis intermissa, neque arboribus consita.

Arbor, et in terra est altera forma maris.
Non avis obloquitur, silvis nisi si qua remotis
  Aequoreas rauco gutture potat aquas.
Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
  Conveniensque suo messis amara loco.
Adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste,
  Tinctaque mortifera tabe sagitta madet.
Quod procul haec regio est, et ab omni devia cursu;
  Nec pede quo quisquam, nec rate tutus eat.
Non igitur mirum, finem quaerentibus horum
  Altera si nobis usque rogatur humus.
Te magis est mirum, non hoc evincere, coniux,
  Inque meis lacrimas posse tenere malis.
Quid facias, quaeris? quaeras hoc scilicet ipsum:
  Invenies, vere si reperire voles.
Velle parum est, cupias ut re potiaris oportet,
  Et faciat somnos haec tibi cura breves.
Velle reor multos: quis enim mihi tam sit iniquus,
  Optet ut exsilium pace carere meum?
Pectore te toto, cunctisque incumbere nervis,
  Et niti pro me nocte dieque decet.

Virg. Georg. II, 280. *campo stetit agmen* aperto. Noster Trist. V. IV, 9. *nec* aperto *mollia prato gramina.* Metam. III, 709.

Purus ab arboribus, spectabilis undique campus.

cf. etiam Amor. II, XI, 12.

v. 29. *finem horum.* miserae huius vitae. Horat. Sat. II, VI, 8. *Si veneror stultus nihil* horum. Terent. Phorm. I, II, 82.

Cum tu horum nil refelles, vincam scilicet. — et Adelph. II, I, 9. *huius non faciam.*

Utque invent alii, tu debes vincere amicos
  Uxor, et ad partes prima venire tuas.
Magna tibi imposita est nostris persona libellis;
  Coniugis exemplum diceris esse bonae.
Hanc cave degeneres, ut sint praeconia nostra
  Vera vide; Famae quo tuearis opus.
Ut nihil ipse querar, tacito me Fama queretur,
  Quae debet, fuerit ni tibi cura mei.
Exposuit mea me populo fortuna videndum,
  Et plus notitiae, quam fuit ante, dedit.
Notior est factus Capaneus de fulminis ictu;
  Notus humo mersis Amphiaraus equis.

---

v. 42. *ad partes tuas.* ab histrionibus ductum, notissimo usu. hinc etiam sequenti versu dixit: *imposita tibi est persona.* Cic. off. I, XXXI. *Intelligendum est etiam duabus quasi nos a natura indutos esse* personis. et cap. XXXII. *Ac duabus iis personis, quam supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus* imponit. — Dicit igitur, non levia eius esse officia, siquidem laude toties in carminibus sibi tributa digna videri cupiat.

v. 45. *Hanc cave degeneres. Huic* coni. Fabricius; sed verbo degenerari quartum iungi casum docuit Heinsius. Metam. VII, 543. *equus degenerat palmas.* Prop. IV, I, 81.

Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos.

ad quem locum Broukhusius serioris aevi scriptoribus tertium placuisse casum exemplis probavit. — *praeconia.* laudum praedicatio. cf. IV, VIII, 45. Amor. III, XII, 9. — v. 46. *famae opus* est fama parta.

v. 47. *Ut nihil.* fac. etiamsi. vid. ad Trist. IV, X, 130. — *tacito me.* adiectivum pro participio, cuius usus larga vide exempla apud Ramsh. Lat. Gr. §. 172. 1. In proximis hunc puta verborum esse ordinem: *Ni cura mei, quae debet* (esse) *tibi fuerit.*

v. 51–54. Ipsam adversam fortunam ad augendam famam multum conferre exemplis comprobat veterum heroum. De Ca-

Si minus errasset, notus minus esset Ulixes,
  Magna Philoctetae vulnere fama suo est.
Si locus est aliquis magna inter nomina parvis,
  Nos quoque conspicuos nostra ruina facit.
Nec te nesciri patitur mea pagina, qua non
  Inferius Coa Battide nomen habes.
Quidquid ages igitur, magna spectabere scena,
  Et pia non parvis testibus uxor eris.
Crede mihi; quoties laudaris carmine nostro,
  Quae legit has laudes, an mereare rogat.
Utque favere reor plures virtutibus istis,
  Sic tua non paucae carpere facta volent.
Quare tu praesta, ne livor dicere possit:
  Haec est pro miseri lenta salute viri.
Cumque ego deficiam, nec possim ducere currum,
  Fac, tu sustineas debile sola iugum.

---

paneo et Amphiarao vid. Aeschyl. in Sept. adv. Theb. Odyss. XV, 244 sqq. Stat. Theb. X, 932 sqq. De Philocteta Sophoclem in fabula hoc nomine inscripta et Iliad. II, 718 sqq. Ad sententiam comp. Trist. IV, III, 75.

Hectora quis nosset, si felix Troia fuisset?

notior de f. ictu. Burmannus e duobus codd. praeeunte Auct. Elect. Eton. dedit *a fulm. ictu,* quod idem esse putat quod supra *insignis ab arte.* Fallitur autem. Adiecto enim verbo *factus est* vis praepositionis esset ea, quae Gr. ὑπό. Neque satis recte ita dici puto. Quare retinui vulg. *de* enim causam indicat; ut in Terentiano illo: Eun. III, II, 3. *ecquid nos amas de fidicina ista?* —

v. 59. *magna scena.* vid. ad Trist. I, IX, 48. — v. 60. *non parvis testibus.* scil. carminibus meis tibi erit piae coniugis fama.

Ad medicum specto venis fugientibus aeger,
Ultima pars animae dum mihi restat, ades.
Quodque ego praestarem, si te magis ipse valerem,
Id mihi, cum valeas fortius ipsa, refer.
Exigit hoc socialis amor, foedusque maritum,
Moribus hoc, coniux, exigis ipsa tuis.
Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis, quam probitate colas.
Cuncta licet facias; nisi sis laudabilis uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.

---

v. 69. 70. *Ad medicum* etc. „Sensus est: Quemadmodum aeger spectat atque implorat medicum, sic ego te. Quare tu fac officium medici: et dum ultima pars vitae restat, hoc est, dum ulla spes superest, subveni et auxiliare." MICYLL. — *venis fugientibus.* i. e. morbo aut ipsa morte languentibus. Amor. III, IX, 49.

Hinc certe madidos fugientis *pressit ocellos*
Mater, et in cineres ultima dona tulit.

i. e. mortui. Eodem sensu supra Trist. III, III, 44 erant *labentes oculi*, ubi vide Burm. Hinc Pont. I, III, 10. ait:

Ut solet infuso vena redire *mero*.

v. 72. Mallem distingui post *ipsa*; ut opponatur verbis praecedentibus: *si te magis ipse valerem*.

v. 75. *domui, de qua censeris* „Hoc est familiae ad quam pertines, sive in qua numeraris: sumta metaphora ab iis qui in aliqua centuria aut classe recensentur. Sic et supra dixit: (Pont. II, V, 73.)

Pro quibus ut maneat, de quo censeris, *amicus*
Comprecor etc.

Quod autem mox sequitur, lego, *Non minus officiis, quam probitate*: pro eo quod est: Non solum proba, sed et officiosa erga me esse debes." MICYLL.

v. 78. *Marcia.* Intelligendam esse Q. Fabii Maximi uxorem, L. Marcii Philippi, qui vitricus erat Augusti, filiam, ad hunc lo-

Nec sumus indigni, nec, si vis vera fateri,
Debetur meritis gratia nulla meis.
Redditur illa quidem grandi cum foenore nobis,
Nec te, si cupiat laedere, livor habet.
Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum;
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.
Ut minus infesta iaceam regione labora,
Clauda nec officii pars erit ulla tui.
Magna peto, sed non tamen invidiosa roganti;
Utque ea non teneas, tuta repulsa tua est.

---

cum et Pont. I, II, 140. docet Micyllus. cf. Lipsium ad Tacit. Ann. I, 5. — Caeterum male distinguebatur post laudabilis. Sensus est: Quantumvis proba in caeteris sit tua vita, non poteris usa videri familiaritate Marciae, nisi in marito sis laudabis, i. e. summa cura, omnique officio eum prosequaris.

v. 81 sqq. Quamquam igitur non possum non te laudare, quod proba fueris adeo, ut nullus livor carpere possit vitam tuam, unum tamen hoc adde, ut tuo officio mala mea leventur. —

v. 84. *ambitiosa.* i. e. studiosa et officiosa. Ambire enim dicebantur qui munus publicum petentes singulos adirent cives, eorumque suffragia captarent. cf. Trist. IV, X, 38. Hortatur igitur uxorem, ut pro se ambiat, neque orare Augustum et caeteros, quibus auctoritas sit, desistat. Cic. ad fam. XIII, 1. *homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus.* — v. 86. *clauda.* i. e. nihil deerit officio tuo. omnes eius expletae erunt partes. alii legunt: *clausa,* quod firmari putant locis Terent. Andr. III, III, 41. *nolo tibi ullum commodum in me claudier,* et Eun. I, II, 84. *nunc ubi meam benignitatem sensisti in te* claudier (utrobique Bentleius temere correxit *intercludier.*). Cic. Tusc. V, 8. *Beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte* claudicaret, *tamen multo maiore parte obtinere nomen suum.*

v. 87. 88. *non invidiosa.* i. e. nullam invidiam mihi paritura. Cic. Verr. II, 17. *Putabant absentis damnationem, praesertim tantae pecuniae, multo* invidiosiorem *fore, quam si praesens*

Nec mihi succense, toties si carmine nostro
 Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.
Fortibus assuevit tubicen prodesse, suoque
 Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua est probitas, testataque tempus in omne,
 Sit virtus etiam non probitate minor.
Nec tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
 Aut excisa levi pelta gerenda manu.
Numen adorandum est; non ut mihi fiat amicum,
 Sed sit ut iratum, quam fuit ante, minus.
Gratia si nulla est, lacrimae tibi gratia fient,
 Hac potes, aut nulla, parte movere Deos.
Quae tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur,
 Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meae res sunt, omni, puto, tempore flebis:
 Has Fortuna tibi nostra ministrat opes.

---

damnatus esset. Diverso sensu dici vidimus Trist. I, II, 67. alio etiam est Pont. II, VII, 73.

Est in aqua dulci non invidiosa *voluptas.*

ἀνεπίφθονος. ut Cic. pro Balbo XXV dixit *pecuniam non invidiosam.* — *tuta repulsa.* nihil, etiamsi non obtineas quae petis, tibi inde erit periculi. Utitur autem verbo in petitione honorum solemni, quia antea *ambiendum esse* dixerat.

v. 94. *Sit virtus.* Hic versus cur suspectus fuerit Heinsio, non assequor. *virtus* eodem sensu dicitur quo Trist. I, VI, 15.

v. 95 96. *Amazonia securis.* Securibus armatae ferebantur et fingebantur *Amazones.* cf. Horat. carm. IV, IV, 20. Eaedem peltas gerebant lunatas, sive in altera parte bis *excisas.* quod videre est in simulacris earum. vid. Winkelm. Werke Bd. VI. tab. II. IV. Horner Bild. d. Griech. Alterth. Hft. III. tab. XLV. Interdum tamen etiam hastis armabantur. vid. Lucian. Imag. tom. II. p. 4. Graev. Tischbein Vaseng. tab. XII.

Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset,
Admeti coniux, quam sequereris, erat.
Aemula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.
Si comes exstincti Manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui.
Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere forte rogos.
Morte nihil opus est, nihil Icariotide tela,
Caesaris at coniux ore precanda tuo.
Quae praestat virtute sua, ne prisca vetustas
Laude pudicitiae saecula nostra premat,
Quae Veneris formam, mores Iunonis habendo,
Sola est coelesti digna reperta toro.

---

v. 105–112. Neque deesse nobilia mulierum exempla, quae pro maritis quaevis sint passa. Locus simillimus est Trist. V, XIV, 35 sqq. — De Alcestide, Admeti coniuge vide Euripidem. De Penelopes dolo Odyss. II, 94 sqq. De Laodamia quae dixi ad Trist. I, VI, 20. — *Iphias* autem est Evadne, Iphidis filia, Capanei uxor, quae in funere coniugis in rogum ardentem se proiecit.

v. 113. *Nihil* producta ultima, in quo haesere vv. dd. Sed ut Burmannus monuit, non aliter est Metam. VII, 644. — *Icariotide tela.* Notum ex Odyss. nomen: I, 329.

Κούρη Ἰκαρίοιο, περίφρων Πηνελόπεια.

v. 115. 116. Liviam ait solam castitate sua aetati suae priscorum temporum laudem restituere. Tunc enim ignarum vitiorum orbem fuisse poëtae comminiscebantur. Iuven. Sat. VI, 1.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu etc.

cf. Virg. Georg. II, 523–540. Nostr. Metam. I, 32 sqq. — *premat.* nostri aevi laudem imminuat. Tacit. Ann. XV, 49. *quod famam carminum eius* premebat *Nero.*

Quid trepidas? quid adire times? non impia Progne,
Filiave Aeetae voce movenda tua est.
Nec nurus Aegypti, nec saeva Agamemnonis uxor,
Scyllave, quae Siculas inguine terret aquas?
Telegonive parens vertendis nata figuris,
Nexaque nodosas angue Medusa comas:
Femina sed Princeps, in qua fortuna videre
Se probat, et caecae crimina falsa tulit.
Qua nihil in terris ad finem Solis ab ortu
Clarius, excepto Caesare, mundus habet.

---

v. 119 - 126. Praeterea vide quam facile sit quod abs te petam. Non saeva et tremenda mulier tibi est adeunda, non Procne Ityos caede nota, non Medea scelesta Aeëtae filia etc. sed Livia mulier omnium praestantissima et piissima.

v. 121. *nurus Aegypti.* Danais, nefandum parricidium commissura. al. ineptissime *Aegisthi.* quia scil. in proximis Clytaemnestrae fit mentio. — v. 122. *Scyllam* intellige Nisi Megarensis filiam, quae patrem Minoi prodidit. vid. Metam. VIII, 6 sqq. Virg. Georg. I, 404 sqq. Seriores autem poëtae, praecipue Romani, cum Crataeidis filia terribili monstro (cf. Odyss. XII, 223 sqq. Ovid. Met. XIV. ab in.) eam commutarunt. Hinc Virg. Ecl. VI, 74.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, *quam fama secuta est,*
— Dulichias vexasse rates.

v. 123. *Telegonus* Circes et Ulyssis filius. — *nata* al. *nota*, quod fateor mihi praeplacere. nam quos Heinsius ad Remed. am. v. 220. laudavit locos, sunt paullo dissimiles.

v. 125. *videre se probat.* quae vulgo caeca proverbiis fertur, (cf. Auct. ad Herenn. II, 23.) in ea sapiens et providens esse intelligitur.

Eligito tempus, captatum saepe, rogandi,
Exeat adversa ne tua navis aqua.
Non semper sacras reddunt oracula sortes;
Ipsaque non omni tempore fana patent.
Cum status Urbis erit qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor:
Cum domus Augusti, Capitoli more colenda,
Laeta, quod est et sit, plenaque pacis erit:
Tum tibi Di faciant adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tum tua verba puta.
Si quid aget maius, differ tua coepta, caveque
Spem festinando praecipitare meam.
Nec rursus iubeo, dum sit vacuissima quaeras;
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.

---

v. 130. *adversa aqua.* undis obluctantibus. Sensus est: quaere idoneum tempus, quo neque curis, neque negotiis eius teneatur et quasi praecludatur precibus tuis, animus. Quae quum sint planissima, mirare Heinsii importunitatem coniicientis: *Haerent adv.* etc. — *exire* autem de navibus e portu navigantibus frequens. Corn. Alcib. III. *priusquam classis exiret.* Horat. Epod. X, 1.

Mala soluta navis exit alite.

v. 141. *Nec rursus iubeo.* Ne tamen id puta me velle: *Rursus* enim, ut Graecorum *αὖ* significat i. q. contra. Horat. Epist. I, II, 17.

Rursum, *quid virtus, et quid sapientia possit,*
Utile proposuit nobis exemplar Ulixen.

cf. Sat. I, III, 28. 75. Cic. de Orat. I, 24. *Tum Antonius vehementer se assentire Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque* rursum *eam totam — repudiaret.* — v. 142. *corporis ad cultum.* al. *curam.* Sed *colere* et *cultus* frequenter apud Nostrum leguntur. vid. Heroid. XV, 77. 78. XVI, 189. etc. — De modico Liviae cultu vid. Suet. Aug. LXIX.

Curia cum patribus fuerit stipata verendis,
  Per rerum turbam tu quoque oportet eas.
Cum tibi contigerit vultum Iunonis adire,
  Fac sis personae, quam tueare, memor.
Nec factum defende meum; mala causa silenda est,
  Nil nisi sollicitae sint tua verba preces.
Tum lacrimis demenda mora est, submissaque terrae
  Ad non mortales brachia tende pedes.
Tum pete nil aliud, saevo nisi ab hoste recedam,
  Hostem Fortunam sit satis esse mihi.
Plura quidem subeunt; sed iam turbata timore
  Haec quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suspicor hoc damno tibi non fore, sentiat illa
  Te maiestatem pertimuisse suam.

---

v. 143. 144. Id tibi elige tempus, quo cum patribus, i. e. senatoribus in curia versabitur Augustus. Tum tu Liviam adi. — Pro *rerum turbam* al. codd. *per patrum t.* Burm. coniecit *matrum.* male. Lucem affundet his Horat. Epist. II, II, 70 sqq. — Sequenti versu per Iunonem intelligit Liviam.

v. 149. *Submissa terrae.* ad pedes postrata. Liv. XLV, 7. *introëunti regi dextram porrexit*, submittentemque *se ad pedes sustulit.*

v. 151. *saevo ab hoste.* Non ut Romam redeat, quod maius sit, optat, sed ut saevissimos populos, Sauromatas scil. Getasque fugere liceat, alium exilii locum petens. cf. Trist. III, VIII, 17 - 22.

v. 155. *hoc damno tibi non fore.* si turbata fueris timore. Puto autem literis questam esse uxorem de formidine sua, quae adire principes vetet, ut omnis auxilii ferendi rationis sit expers, atque eo plus semel poëtam respicere. cf. v. 33.

Nec tua si fletu scindentur verba, nocebit:
Interdum lacrimae pondera vocis habent.
Lux etiam coeptis facito bona talibus adsit,
Horaque conveniens, auspiciumque favens.
Sed prius imposito sanctis altaribus igni,
Tura fer ad magnos, vinaque pura deos.
E quibus ante omnes Augustum numen adora,
Progeniemque piam, participemque tori.
Sint utinam mites solito tibi more, tuasque
Non duris lacrimas vultibus adspiciant.

---

v. 163. „Hinc colligit Casaubon. Epist. CCXXXVI. Imperatoribus sacra fecisse, qui eos adituri essent, et foedam adulationem e curia et senatu translatam." Burm. — v. 165. *solito tibi more.* Heinsius e coniectura: *sibi*, quod scribi potuit, sed non est scriptum.

Ex Ponto Lib. III. Epist. II.

COTTAE.

Quam legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere, perveniatque precor.
Namque meis sospes multum cruciatibus aufers,
Utque sit, e nobis pars bona salva, facis.

---

v. 1. Collaudat fidem Cottae, qui deserere se cum plerisque in calamitatibus noluerit. Quare illis quo lubentius ignoscat, eo pluris se facere paucorum illorum fidum animum, quos nullus deterruerit timor, quominus amicum graviter afflictum solarentur, et quo possent auxilio sublevarent. Quam ob fidem non solum a se, dum vivat, plurimam habitum iri gratiam, sed famam iis etiam inter homines fore perennem. Quae quanta futura sit in reliquo orbe, augurari inde licere, quod ipsi iam Sauromatae Getaeque eorum animos probent; nam his etiam, quantumvis barbaris, fidam amicitiam laudari. Hinc occasionem idoneam nactus nobilissimam de Oresta et Pylade subiungit narrationem, quae reliquam carminis partem explet. — *Cottam* intelligunt Messalinum, M. Valerii Messalae Corvini filium, qui adoptatus ab Aurelio Cotta hinc Cottae nomen traxerit. Eundem autem esse Maximum Cottam, ad quem epistola quinta huius libri et octava secundi sint scriptae. Qua in re ut non omnia mihi liquere fateor, nolui tamen tacere vv. dd. iudicia. — *salutem*, inscripta scil. ex more in epistolae fronte, quam ratam cupit esse. Similem lusum vid. Pont. I, X, 1 sq.

Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem;
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.

cf. II, V, 1 sqq. Trist. V, XIII, 1 sq.

v. 3. *sospes*. quod sospes es. Horat. carm. I, XXVIII, 27.

Cumque labent alii, iactataque vela relinquant,
Tu lacerae remanes ancora sola rati.
Grata tua est igitur pietas, ignoscimus illis,
Qui cum Fortuna terga dedere fugae.
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent,
Iunctaque percusso turba pavere solet.
Cumque dedit paries venturae signa ruinae,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non e timidis aegri contagia vitat?
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit: adversos extimuere Deos.
Utque magis cauti possunt timidique vocari,
Sic appellari non meruere mali.

Plectantur silvae te sospite. i. e. ut tamen sis sospes. Utroque loco adiectivum est pro participio, quod tamen in ablativis absol. frequentius.

v. 7. *Grata tua est pietas.* Quo maiores pietati tuae habeo gratias. cf. v. 27. Gratae enim dicuntur res, quae eius qui percipit gratiam excitant, et, quod inde sequitur, auctori gratiam pariunt, ut in illo Plauti Amphitr. Prol. 48.

Gratum *arbitratur esse id a vobis sibi.*

Terent. Eun. III, I, 6. Grata *mihi quae facio omnia.* Cic. Phil. II, 46. *quam sit re pulchrum, beneficio* gratum, *fama gloriosum, tyrannum occidere.*

v. 18. *adversos.* In quibusdam est aversos, quod praeferendum censeo. Praeter locos laudatos ad Trist. I, III, 45. cf. Pont. I, II, 8. et Amor. III, XII, 17. — Intelligit autem Augustum. — v. 19. *magis cauti.* Heinsius coniecit, *nimis* vel *satis*, quorum prius in ipso comparativo latet, quem hic habes periphrasticum.

At meus excusat caros ita candor amicos,
  Utque habeant de me crimina nulla, favet.
Sint hac contenti venia, signentque licebit,
  Purgari factum me quoque teste suum.
Pars estis pauci melior, qui rebus in artis
  Ferre mihi nullam turpe putastis opem.
Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
  Cum cinis absumpto corpore factus ero.
Fallor, et illa meae superabit tempora vitae,
  Si tamen a memori posteritate legar.

---

v. 22. *favet.* i. e. cupit. Heroid. VI, 99. *adscribi factis procerumque tuisque se* favet. ubi vid. Heins. Idem expulsum iniuria Virg. Aen. I, 18. ubi nunc legitur: *iam tum tenditque fovetque;* sed in tribus Burmanni erat *favetque.*

v. 23. *signent.* Offendit hic Burmannus „eum nemini credi posset, qui in rem suam signet, sed ut testis alterius facti aliquid confirmet. et cum Ovidio teste uti vellent, illum signare debuisse non istos.“ quare mavult legi: *fingant.* Sed erravit. Nam *signare* quamquam proprie de eo dicitur, qui apposito nomine aut sigillo rei scriptae fidem facit, (cf. Prop. III, XXII, 4.) hic tamen minus arto sensu accipi debet, ut fere sit: literis consignent. curent, tabellis in fidem rei perscribatur. Ita Prop. III, XIX, 5.

Foedera sunt ponenda prius, signandaque iura,
Et scribenda mihi lex in amore novo.

Neque aliter Noster Pont. IV, XV, 9.

Confiteor. testere licet. signate, *Quirites.*

Quem autem Bachius laudavit locum Trist. II, 429. ut legatur ibi: *signavit*, plane est alienus.

v. 25. *rebus in artis.* ut apud Hor. carm. II, X, 20. *rebus angustis* et III, II, 1. *angusta pauperies.* cf. Iuv. III, 165.

v. 30. *Si tamen.* Siquidem vere coniicio, nostrum: wenn anders. Trist. III, XIV, 23.

In populi quidquam si tamen ore meum est.

cf. Metam. IV, 535.

Corpora debentur moestis exsanguia bustis:
Effugiunt structos nomen honorque rogos.
Occidit et Theseus, et qui comitavit Oresten;
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.
Vos etiam seri laudabunt saepe nepotes,
Claraque erit scriptis gloria vestra meis.
Hic quoque Sauromatae iam vos novere Getaeque:
Et tales animos barbara turba probat.
Cumque ego de vestra nuper probitate referrem,
(Nam didici Getice, Sarmaticeque loqui:)
Forte senex quidam, coetu cum staret in illo,
Reddidit ad nostros talia verba sonos.
Nos quoque amicitiae nomen bene novimus, hospes,
Quos procul a vobis frigidus Ister habet.
Est locus in Scythia, Tauros dixere priores,
Qui Getica longe non ita distat humo.
Hac ego sum terra, patriae nec poenitet, ortus.

---

v. 31. *debentur corpora bustis.* hanc nostri partem rogus sibi vindicat. ut Prop. I, XIX, 2. *debita fata rogo.* Neque multum dissimiliter Hor. art. p. v. 63. *debemur morti nos nostraque.*

v. 33. *Occidit et Theseus.* Proverbiale esse monuit Fabricius, laudans Hor. carm. I, XXVIII, 7. *occidit et Pelopis genitor*, et Homericum *κάτθανε καὶ Πάτροκλος.* Iliad. XXI, 107. Plura vid. ap. Mitscherl. ad Hor. l. l. Sed his omnibus multum diversa inest sententia. Pertinent enim ad communem moriendi necessitatem. *Thesei* mentio fit ob fidam cum Pirithoo amicitiam.

v. 47. *patriae nec poenitet.* Gell. XVII, 1. Poenitere *tum dicere solemus, cum quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus.* Interdum tamen ut nostro loco de iis dicitur, quorum nulla est in nobis causa. Cic. somn. Scip. III. extr. *Iam ipsa terra ita mihi parva*

Consortem Phoebi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vastis innixa columnis,
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic signum coeleste fuisse,
Quoque minus dubites, stat basis orba Dea.
Araque, quae fuerat natura candida saxi,
Decolor adfuso tincta cruore rubet.
Femina sacra facit taedae non nota iugali,
Quae superat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrifici genus est (sic instituere priores),
Advena virgineo caesus ut ense cadat.
Regna Thoas habuit, Maeotide clarus in ora,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter.

---

visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, poeniteret. i. e. puderet. —

v. 48. *consortem.* an praeter Nostrum, apud quem frequens hic usus, (cf. Heroid. XIII, 61. Metam. XI, 347. VIII, 444. XIII, 663.) pro fratre sive sorore ullus dixerit scriptor, dubito. Nam quos Fea ad Hor. carm. III, XXIV, 60. laudavit locos aliter explicari et posse et debere, facile concedes.

v. 51. *signum coeleste.* coelo delapsum, quod traditum esse de Palladio etiam, et de simulacro Deae Ephesinae notum est. —

v. 55. *taedae non nota iugali.* viro non nupta. de taeda vide ad Prop. IV, XI, 46. — v. 56. *Nurus Scythicas.* feminas.

v. 62. *Iphigenian;* quam Agamemnoni patri immolaturo eripuit Diana. Copiose rem narrat Eurip. Iphig. Taur. v. 1 - 38. Caeterum hic rei convenientius non ipsam Iphigeniam sed alios quosdam ministros hospites facit immolantes. apud quem v. 39. virgo:

κατάρχομαι μὲν σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει.

cf. v. 608. De ritu sacrorum cf. Herodot. IV, 103.

Quam levibus ventis sub nube per aëra vectam,
Creditur his Phoebe deposuisse locis.
Praefuerat templo multos ea rite per annos,
Invita peragens tristia sacra manu,
Cum duo velifera iuvenes venere carina,
Presseruntque suo litora nostra pede.
Par fuit his aetas et amor: quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades, nomina fama tenet.
Protinus immitem Triviae ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.
Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat ut fulvas infula longa comas.

---

v. 63. *sub nube.* quo uti solebant dii velamine, quum quos diligerent morti aut periculis eriperent. Iliad. V, 344.

καὶ τὸν μὲν μετὰ χερσὶν ἐρύσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
κυανέῃ νεφέλῃ.

Odyss. VII, 14.

— — — — αὐτὰρ Ἀθήνη
πολλὴν ἠέρα χεῦε φίλα φρονέουσ' Ὀδυσῆι.

cf. XIII, 189. Virg. Aen. I, 411 sqq.

At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulae *circum dea fudit amictu,*
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.

v. 71. *Triviam* nominat loco Dianae. Illa enim aetate Dianae (Ἀρτέμιδος), Lunae (Σελήνης), Triviae (Ἑκάτης) et Lucinae (Εἰλειθυίας) numina in unum abierant aut certe ab omnibus confundebantur. Videsis Hor. carm. III, XXII. et eiusdem carmen saecul. — De simulacro Dianae Tauricae etiamnum superstite vid. Winkelm. Werke Bd. II. p. 585.

v. 73. *aqua lustrali.* Vix Graeci hoc moris fuisse crediderim, quorum aliae erant sacrorum *ἀπαρχαί.* Similem Romanorum in funeribus ritum vide apud Virg. Aen. VI, 229 sq. — In proximis verba *dum velat tempora vittis* intellige de ipsa Iphigenia; nam

Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis,
Dum tardae causas invenit illa morae:
Non ego crudelis, iuvenes ignoscite, dixit,
Sacra suo facio barbariora loco:
Ritus is est gentis. Qua vos tamen urbe venitis?
Quove parum fausta puppe petistis iter?
Dixit, et audito patriae pia nomine virgo,
Consortes urbis comperit esse suae.
Alter at e vobis, dixit, cadat hostia sacris;
Ad patrias sedes nuntius alter eat.
Ire iubet Pylades carum periturus Oresten,
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.
Exstitit hoc unum, quo non convenerit illis,
Caetera par concors, et sine lite fuit.
Dum peragunt pulchri iuvenes certamen amoris,
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.

---

sacerdotes aeque atque hostiae infula erant cincti. cf. Serv. ad Virg. Aen. X, 538.

v. 80. *petistis iter.* An latinum sit *petere iter* dubitat Bachius. Adeat Drakenb. et Gronov. ad Liv. XLIV, 2. Neque maiore iure dicimus *petere fugam*, et quod vulgare admodum: *tendere iter.*

v. 88. *Caetera par concors — fuit.* Legebatur olim *caetera pars*, sed „Multo rectius *par concors.* ut apud Ciceronem in libro de Amicitia. (cap. IV. sub fin.) *vix tria aut quatuor nominantur* paria *amicorum.* *Caetera* autem eo modo dictum, quo apud Virgilium (Aen. III, 594.) *caetera Graius*" NAUGER. cf. Bentleium et Obbarium ad Horat. Epist. I, X, 3. quem locum nostro similem evolve, ut intelligas quid sit inter Horatium et Ovidium.

v. 90. *exarat scriptas notas.* Exarare pro scribere, qua metaphora dicatur intelliges ex uno Plauti loco: Bacch. IV, IX, 73.

Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur,
(Humanos casus adspice) frater erat.
Nec mora, de templo rapiunt simulacra Dianae,
Clamque per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor iuvenum, quamvis abiere tot anni,
In Scythia magnum nunc quoque nomen habet.
Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo,
Laudarunt omnes facta piamque fidem.
Scilicet hac etiam, qua nulla ferocior, ora
Nomen amicitiae barbara corda movet.
Quid facere Ausonia geniti debetis in urbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
Adde quod est animus semper tibi mitis, et altae
Indicium mores nobilitatis habet,

Cerae quidem haud parsit, neque stilo. Scriptas autem notas exarare dixit fere ut Horat. Epod. XVII, 5. *Refixa coelo devocare sidera.* ubi risum movet, Feam mirari, quomodo devocentur, si iam refixa sint.

v. 93. *simulacra Dianae.* Quae sibi tradita esse ab ipsa Iphigenia plures contendebant Graeciae civitates, inprimis Lacedaemonii atque Athenienses. Nec non apud Italos Ariciam ea delata esse fama erat. cf. Paus. III, XVI. Ovid. Met. XV, 488. Serv. ad Aen. II, 116. — v. 94. *immensas aquas* dixit pro simplici: mare. Trist. III, IV, 21.

Quid fuit ut tutas agitaret Daedalus auras,
Icarus immensas *nomine signet* aquas.

v. 96. finis narrationis.

v. 103. *altae nobilitatis.* generis alte, i. e. e vetustissimis temporibus repetendi; siquidem Valeria gens a Voleso (al. Voluso) vid. Liv. II, XXX. Aurelia (teste Festo) a priscis Sabinis originem repetebant. Quam studiosi fuerint Romani vetustae gentis laudis notum est. cf. Mitscherl. ad Hor. carm. III, XVII, 1. — Caeterum multum ab Ovidii laude discrepat Taciti de hoc Mes-

Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor,
Quos Numa maternus non neget esse suos:
Adiectique probent genitiva ad nomina Cottae,
Si tu non esses, interitura domus.
Digne vir hac serie, lapso succurrere amico
Conveniens istis moribus esse puta.

---

salino iudicium, qui abiectum fuisse hominem tradit. Ann. IV, 20. *Messalinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus.* VI, 5. Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae auctor, eoque inveterata invidia. ib. c. 6. Quo non aliud honorificentius Cottae evenit; qui nobilis quidem sed egens ob luxum, per flagitia infamis sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur. cf. Pers. II, 72. — *habent* alii fortasse rectius.

v. 107. *Adiecti gen. ad nom. Cottae.* Quem probaturi sunt materni Cottae (IV, XVI, 43.) quorum nomen paterno adiecisti, domus (gens) interitura, nisi tu esses superstes.

Ex Ponto Lib. I. Epist. V.

MAXIMO.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
 Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
 Nescius exsilii ne videare mei.
Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
 Ut capiant vitium ni moveantur aquae?
Et mihi, si quis erat ducendi carminis usus,
 Deficit, estque minor factus inerte situ.
Haec quoque quae legitis, si quid mihi, Maxime, credis,
 Scribimus invita vixque coacta manu.
Non libet in tales animum contendere curas;
 Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum;
 Sed non fit fato mollior ille meo.
Cum relego, scripsisse pudet; quia plurima cerno,
 Me quoque, qui feci, iudice digna lini.

Hac elegia, Maximi nomine, qui e Fabiorum genere erat, inscripta, multa in carminibus, quae tunc componere soleat, inesse vitia confitetur, ipsique plurima videri tollenda aut emendanda, nisi maioris hoc esset laboris, neque in eo loco viveret, quo limando carmina operae pretium nunquam facturus esset. Invitum se versus facere, sed adsuetum his studiis aliisque negotiis vacantem non posse abstinere.

Nec tamen emendo: labor hic quam scribere maior,
  Mensque pati durum sustinet aegra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
  Et sub iudicium singula verba vocem?
Torquet enim fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
  Confluat? et frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
  Subducant oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, iustissima causa laborum,
  Et sata cum multo foenore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
  Profuit (atque utinam non nocuisset!) opus.
Cur igitur scribam miraris? miror et ipse,
  Et mecum quaero saepe quid inde feram.
An populus vere sanos negat esse poëtas;
  Sumque fides huius maxima vocis ego?

---

v. 21. *Torquet enim Fortuna parum* etc. Scilicet ad innumera, quibus opprimor, mala hoc etiam accedat, quasi necesse sit Nilum iungere aquas Hebro atque ex Atho monte silvarum frondes transferri in Alpes.

v. 30. *quid inde feram.* quam inde capiam utilitatem, ut v. 82. ferre, enim dictum pro referre, reportare. Terent. Eun. V, IX, 27. Quodvis donum et praemium a me feres. Similia passim apud quosvis scriptores obvia. Nec multum dissimile est, quod apud Virgilium aliquoties legitur: *dat ferre.* Homeri *δῶκε φέρειν.* — al. *Et tecum.*

v. 31. An igitur in me probatur, verum esse quod vulgo ferantur insani poëtae? — v. 32. *fides sum* pro fidem facio, quemadmodum Petronius Sat. 97. dixit: *In lance argentea indicium et fidem praeferebat.*

Qui sterili cum sim toties deceptus ab arvo,
Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus et adsueta ponere in arte iuvat.
Saucius eiurat pugnam gladiator, et idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
Mox ducit remos, qua modo navit aqua:
Sic ego constanter studium non utile carpo,
Et repeto, nollem quas coluisse, deas.
Quid potius faciam? non sum, qui segnia ducam
Otia, mors nobis tempus habetur iners.
Nec iuvat in lucem nimio marcescere vino,
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii contendere discam
Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?

---

v. 35. 36. *Scilicet:* So ist es aber. cf. Trist. I, II, 33. — *Tempus ponere* in aliqua re, aut aliquo modo (v. 48.) est consumere. Cic. Brut. XXII. *unum, quasi comperendinatus medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa componendaque posuisse.* id. Attic. XI, 22. *ut multos dies in oppidum ponat.* ubi v. Manut. Similiter ad Quint. Fr. I, I, 10. est: *omne suum studium in doctrina et sapientia collocare.*

v. 36–40. cf. primum Horatii carmen, inprimis v. 15 sqq.

v. 45. *in lucem.* Nec minus displicet illa fallendi temporis ratio, ut ad lucem usque sopor ebrium opprimat; quemadmodum Horatius Epist. I, XVII, 6. dixit:

— *Si te grata quies et* primam somnus in horam
Delectat. —

Hoc quoque me studium prohibent adsumere vires,
Mensque magis gracili corpore nostra valet.
Cum bene quaesieris, quid agam; magis utile nil est
Artibus his, quae nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus oblivia nostri:
Hanc satis est messem si mea reddit humus.
Gloria vos acuat: vos, ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili satis est componere nobis,
Et nimis intenti causa laboris abest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear, ne non approbet illa Getes?

---

v. 57. 58. *ut recitata probentur.* Non privatim tantum amicis, sed publice certis locis et poëtae et alii scriptores scripta sua recitare solebant. quo alludit etiam Trist. IV, X, 57.

Carmina cum populo primum iuvenilia legi.

Suet. Aug. LXXXV. *Multa varii generis prosa oratione composuit: ex quibus nonnulla in coetu familiarium, velut in auditorio, recitavit.* Id. Domit. II. *Simulavit et ipse mire modestiam: inprimisque poëticae studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abiectum:* recitavitque etiam publice. Huc pertinent illa Iuvenalis Sat. I, 9 sqq.

— — quid agant venti quas torqueat umbras
Aeacus: unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant,
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.

cf. eiusd. Sat. III, 9. et Hor. Epist. II, II, 67. — *Pieriis inv. choris.* Maiorem Musarum operi, i. e. carminibus navate operam.

v. 59. *ex facili* pro *facile*. Art. am. I, 356. *Quod petis, e facili feres.*

Forsitan audacter faciam; sed glorior, Istrum
Ingenio nullum maius habere meo.
Hoc, ubi vivendum, satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poeta Getas.
Quo mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem Fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
Sic merui, magni sic voluere Dei.
Nec reor hinc illuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Dividimur coelo, quaeque est procul urbe Quirini,
Adspicit hirsutos cominus Ursa Getas.
Per tantum terrae, tot aquas vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei.
Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certe res iuvet ista nihil.
Quid tibi, si calida positus laudere Syene;
Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?

---

v. 67. *Quo mihi.* hanc meliorum librorum lectionem exemplis munivit Heins. ad art. I, 303. cf. Heind. ad Hor. Sat. I, VI, 24. — Quid tam remoti orbis (Romae) appetam laudem. Haec mihi sorte data est scena. haec mihi terra nunc Romae locum tenet. — De theatro, v. 69. vid. ad Trist. I, IX, 47.

v. 74. *hirsutos Getas* intelligendos corpore non veste censet Burm. quod scire velim unde divinaverit. Non nego ad barbam hirsutosque capillos referri posse, sed non minus ad amictum. vid. Met. XIV, 156. — Atque en tibi tales apud Virgilium Scythas Georg. III, 383. qui *pecudum fulvis velantur corpora setis.* ipsosque Getas *pellitos* dicit Noster: Pont. IV, X, 2. Quare accipe potius de toto habitu. ut Amor. III, X, 7. hirsuti dicuntur coloni.

v. 79. Quid prodest laudari in urbe, dum ipse remotissimas colis terras; Syenen Aegypti sub sole torrente positam, aut Ta-

Altius ire libet? si te distantia longe
  Pleiadum laudent signa, quid inde feras?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc,
  Famaque cum domino fugit ab Urbe suo.
Vosque, quibus perii tunc, cum mea fama sepulta est,
  Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

---

probanen (hodie Ceylon), Indici maris insulam. An, si per coeli sidera laus tua celebretur, hinc ullam feras utilitatem. — Ita quidem nunc legitur. olim erat: *Quid tibi si calida prosit laudere S.* in quibus ad sententiam nihil est, quod reprehendas, nisi ingrata est verborum disiunctio. Quare Heins. e cod. Scalig. dedit: *positus.* Sed in hac lectione id iure requiras, alterum, quo quis laudetur, locum non indicari, quo omnis oratio fit manca. Hanc, puto, ob causam ipse Heinsius maluit *positis,* i. incolis. — De usu verbi *ponere* vid. eundem ad h. l. et Burm. ad Trist. III, XIII, 19.

v. 85. *Vosque, quibus perii*, etc. „Fama, inquit, mea cum domino suo ab urbe fugit, sive abiit. eoque etiam vos amicos arbitror iam mei exilii ac fugae, quae mortis instar mihi est, non amplius meminisse.“ Micyll. In quo v. d. mirifice falsus est. Sensum enim puta hunc esse: Arbitror autem nullum iam Romae de me fieri sermonem et carmina, quibus perii, i. quae causa sunt meae ruinae, nunc etiam de me ac calamitatibus meis tacere; i. nulla hinc Romam pervenire a me carmina. cf. Trist. III, III, 54.

Cum patriam amisi, tum me periisse putato:
Et prior et gravior mors fuit illa mihi.

Heroid. Epist. I.

PENELOPE ULIXI.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulyxe,
  Nil mihi rescribas attamen, ipse veni.
Troia iacet certe, Danais invisa puellis;
  Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.
O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,
  Obrutus insanis esset adulter aquis!

---

v. 2. Dedi scripturam Heinsii, quae tamen non admodum suavis est, ut cum antiquis editionibus post *attamen* distinguere malim. Burmannus Gronovii coniecturam secutus dedit: *ut tamen*. — v. 3. *Troia iacet*. victa est et deleta. Haud aliter Hecuba Metam. XIII, 505: *iacet Ilion ingens*. Antitheton huius verbi esse *manere* adnotavit Ciofanus, quod testantur verba Scyllae Metam. VIII, 113 sqq.

— — nam quo deserta revertar?
In patriam? superata iacet. *sed finge manere:*
Proditione mea clausa est mihi. —

Rectius tamen opponitur *stare*. Virg. Aen. I, 268. *dum res stetit Ilia regno*. Noster Trist. I, IX, 17. *dum stetimus*, quum alibi saepius *cecidisse* se dicat. — Caeterum erat qui *certe* mallet coniungere cum *invisa* et fateor mihi etiam displicere, quod dubitanter Penelope de re ipsi certissima (vid. v. 23 sqq.) loqui videatur. Sed altero etiam loco frigidum est. *per te* coni. Burmannus. — v. 4. *Vix Pr. tanti* etc. Scil. ut tot ademtos sibi coniuges flerent puellae.

Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies.
Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat:
Sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
Tlepolemi leto cura novata mea est.
Denique quisquis erat castris iugulatus Achivis;
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto Deus aequus amori;
Versa est in cineres sospite Troia viro.

---

v. 15. *Antilochum ab Hectore victum.* Quum occisum a Memnone plerique narrent, inter quos ipse Homerus (Odyss. IV, 188.) modo Amphimachum, modo Anchialum, modo Archilochum nescio quem Nostro critici obtrudere sunt ausi. Sed vix credibile tam obscurum poëtae placuisse nomen, et potuit fortasse aliorum narrationes sequi. Certe Hyginus F. 113. cum Ovidio facit.

v. 18. *successu posse carere dolos.* Lucem his affundent versus Homeri. Il. XVI, 40 sq.

Δὸς δέ μοι ὤμοιϊν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι,
αἴ κ' ἐμὲ σοὶ ἴσκοντες ἀπόσχωνται πολέμοιο
Τρῶες.

De Tlepolemo Herculis filio a Sarpedone Lycio interfecto vid. Iliad. V, 628 sqq.

Argolici rediere duces; altaria fumant,
  Ponitur ad patrios barbara praeda Deos.
Grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis;
  Illi victa suis Troia fata canunt.
Mirantur iustique senes, trepidaeque puellae;
  Narrantis coniux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
  Pingit et exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.
  Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Aeacides, illic tendebat Ulixes;
  Hic lacer admissos terruit Hector equos.

---

v. 27. *Nymphae.* „Νύμφαι, *nuptae.* Graecissat hic Ovidius. vide Festum in *Nupta.* Parum tamen abest, quin a Nasone exaratum opiner *nuptae.* Nam alterum paullo insolentius.“ Heinsius. — v. 28. De fatis maioribus et minoribus multa docte disseruere Burmannus ad h. l. et Bentleius ad Hor. Epist. II, 1, 6. Equidem quid tanto molimine opus sit, non video. Statuisse veteres sua cuique esse fata, eaque immota, res nota est. In fatis igitur erat vinci a Graecis Troianos, quod ita exornat poëta, ut ipsa fata de victoria certantia nobis exhibeat. — *Troia.* legebatur olim Troica. vid. Bentl. ad Hor. carm. III, III, 32.

v. 31 sqq. Venusti versus, quibus imitari videtur Tibullum, lib. I, XI, 31.

Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.

posita mensa utrum sit post coenam, ut apud Virgilium *mensis remotis*, an apposita hanc ipsam ob causam, ambigo.

v. 36. *Hic lacer — equos.* De veritate scripturae dubitare vetat locus Consolationis ad Liviam v. 319 sq.

Hoc fuit Andromache, quum vir religatus ad axes
Terruit admissos sanguinolentus equos.

Sed quid eo velit poëta et unde id sumserit, quum apud Homerum nihil tale legatur, nemo facile dixerit. Tragicis deberi, non

Omnia namque tuo senior te quaerere misso
Retulerat nato Nestor, at ille mihi.
Retulit et ferro Rhesumque, Dolonaque caesos,
Utque sit hic somno proditus, ille dolo.
Ausus es o nimium, nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo.
Totque simul mactare viros adiutus ab uno,
At bene cautus eras, et memor ante mei.
Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios? et, murus quod fuit ante, solum?
Si maneo, qualis Troia durante manebam,
Virque mihi demto fine carendus abest.
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant;
Incola captivo quae bove victor arat.
Iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa; ruinosas occulit herba domos.

---

inepte suspicatur Micyllus. — *equi admissi* sunt incitati. Amor. II, XI, 53 sq.

Haec mihi quam primum coelo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

Caes. B. C. II, 34. *Quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, sed* admissis equis *ad suos refugerunt.* Ita Heroid II, 114. sunt *admissae Hebri aquae.*

v. 48. *quid prodest solum* pro solum i. e. agrum esse locum in quo murus olim erat Troiae. Similem locum habuimus, Pont. III, II, 3. Incolam autem victorem quo sensu dicat, non assequor, nisi veritatem minus, quam communem victarum terrarum sortem expressisse poëtam existimemus. — Caeterum cf. Lucan. Phars. IX, 966 sqq. et Virg. Georg. I, 491-497.

Victor abes; nec scire mihi, quae causa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit;
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Nestoris arva,
Misimus; incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten; Sparte quoque nescia veri.
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi.
Irascor votis heu levis ipsa meis!
Scirem ubi pugnares, et tantum bella timerem,
Et mea cum multis iuncta querela foret.
Quid timeam, ignoro: timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
Quaecunque aequor habet, quaecunque pericula tellus,
Tam longae causas suspicor esse morae.
Haec ego dum stulte meditor, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniux,
Quae tantum lanas non sinat esse rudes.
Fallar, et hoc crimen tenues vanescat in auras;

v. 59. *ad litora puppim.* Miratur Parrhasius quomodo puppis ad litus advertatur, quod prorae potius sit. Quasi vero non centies apud poëtas puppis pro navi sit. cf. Heroid. XII, 23. Trist. IV, VIII, 17.

v. 78. *Quae lanas — rudes.* cuius totum in lanae tractandae, i. e. texendi peritia sit meritum.

Neve, revertendi liber, abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet
Penelope: coniux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.
Dulichii Samiique, et quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa proci.
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula:
Viscera nostra, tuae dilaniantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumque Medontaque dirum,
Eurymachique avidas, Antinoique manus,

v. 80. *revertendi liber.* Male huc trahuntur alii loci, quibus adiectivo liber iungitur Genitivus, ut Hor. art. poët. v. 212. *liber laborum.* Lucan. Phars. IV, 384. *curarum liber.* etc. Ibi enim *liber* est immunis, vacans, non coactus, premuntque poëtae Graecorum vestigia, apud quos aliquoties *ἐλεύθερος* Genitivum regit, ut Eurip. Hec. v. 852. Matth.

ἐγώ σε θήσω τοῦδ' ἐλεύθερον φόβου.

Idem Hipp. v. 1449. M.

τί φῄς; ἀφίης αἵματός μ' ἐλεύθερον;

cf. Valken. ad v. 1450. At nostro loco insolenter Ovidius liberum dixit eum cui liberum est, sive licet reverti. Similem locutionem e Statio Silv. IV, II, 24. notarunt lexicographi: *liberior campi*, quod interpretantur: cui maior patet campus. Sed ibi leviter inspectus Statius docere eos poterat, has voces commate esse disiungendas. — v. 87. petitus est ex Odyss. IX, 24.

Δουλίχιόν τε, Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

v. 90. *dilaniantur opes.* *κτήματα δαρδάπτουσιν.* Odyss. XVI, 315. Medon cur *dirus* dicatur iure mirantur critici, cum propter meliores mores ei in communi procorum strage pepercerit Ulixes. vid. Odyss. XXI.

Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
  Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
  Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero: sine viribus uxor,
  Laërtesque senex, Telemachusque puer.
Ille per insidias pene est mihi nuper ademtus,
  Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Dii precor hoc iubeant, ut, euntibus ordine fatis,
  Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque boum, longaevaque nutrix;
  Tertius immundae cura fidelis harae.
Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis armis,
  Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas;
  Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires, inimicos pellere tectis;
  Tu citius venias portus et ara tuis.
Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
  In patrias artes erudiendus erat.

---

v. 101. *euntibus ordine fatis.* „quae ordine procedunt, si maiores natu prius e vivis tolluntur, quam natu minores. plena sunt huius formulae monumenta sepulcralia in antiquis inscriptionibus. Tacitus Annal. XVI, 11. *Servavitque* ordinem *Fortuna, ac senior prius, tum, cui prima aetas, exstinguuntur.* etc." Heinsius. — v. 103. *Hoc faciunt.* scil. mecum precantur.

v. 110. *citius.* θᾶσσον. nostrum: recht schnell. — *portus et ara.* alii *aura,* quos recte castigavit Heinsius. Ita enim Cic. in Verr. V, 48. *Hic portus, haec arx,* haec ara *est sociorum* (lex de repetundis.) i. e. perfugium. cf. Nostrum Pont. II, VIII, 68 Trist. IV, V, 2.

Respice Laërten: ut iam sua lumina condas,
 Extremum fati sustinet ille diem.
Certe ego, quae fueram te discedente puella,
 Protinus ut redeas, facta videbor anus.

Heroid. Epist. X.

ARIADNE THESEO.

Mitius inveni quam te genus omne ferarum,
 Credita non ulli, quam tibi, peius eram.
Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto,
 Unde tuam sine me vela tulere ratem.

---

v. 114. *Sustinet.* „Differt ideo, ut tu veniens condas eius lumina. lib. X. Metam. 188.

Nunc animam admotis fugientem sustinet *herbis.*

Senec. I. Contr. XII. *Deficientis adolescentis spiritus in adventum meum* sustinebatur." etc. Burm.

v. 3. *Ex illo littore.* „Diam insulam significat ubi Ariadnam reliquerat Theseus. Apollonius lib. IV. Argon. (v. 434.) de ipsa Ariadna:

— — — ἦν ποτε Θησεὺς
Κνωσσόθεν ἑσπομένην Δίῃ ἔνι κάλλιπε νήσῳ.

Alii eam in Naxo relictam scribunt. Vide Plutarchum in Theseo (cap. XX.) Hyginus in fabulis hac de re: *Theseus in insula Dia tempestate retentus, cogitans, si Ariadnen in patriam portasset, sibi opprobrium futurum: itaque in insula Dia dormientem reliquit. Quam Liber amans inde sibi in coniugium abduxit.*" etc. Ciof. — Diam insulam Homerus etiam nominat. Odyss. XI, 325. qui tamen interfectam ibi a Diana Ariadnen narrat. Caeterum eandem hanc esse insulam, quae postea Naxos

In quo me somnusque meus male prodidit, et tu,
Per facinus somnis insidiate meis.
Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, et tectae fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, a somno languida movi
Thesea pressuras semisopita manus.
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,

---

vocata sit, narrat Schol. ad Hom. l. l. Δία, νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ, ἥτις νῦν Νάξος καλεῖται. qua in re eum falli vix est quod moneam; illa enim hodie vocatur Staudia. Puto autem ambiguam famam inde ortam esse, quod Naxos olim Dia etiam vocabatur. vid. Plin. H. N. IV, 22. (12.) — In vs. praecedenti ineptiunt qui *ulli* intelligant de fera.

v. 5. *male prodidit.* vid. adn. ad Trist. I, VI, 13. male hic fere est infeliciter. — v. 6. *per facinus.* Ibid. v. 566.

Per facinus soror est cui sua facta parens.

et Remed. v. 62.

Per facinus fieri non meruisset avis.

comparavit Heinsius, alia Burmannus. cf. Heyn. ad Virg. Aen. V, 793. Hor. carm. I, X, 10. per dolum. Epist. II, II, 140. per vim. cf. Ter. Ad. III, II, 10. Similiter Graeci: διὰ σπουδῆς, δι' αἵματος. Demosth. Epitaph. p. 1391. καὶ διὰ τῶν ἰδίων κινδύνων κοινῆς σωτηρίας πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν αἴτιοι κατέστησαν.

v. 10. *Semisopita.* Contra omnium librorum auctoritatem Heinsius dedit *semisupina*, aegre ferens corripi mediam syllabam, quod in verbo sopire nunquam sane fit. Eo tamen non moveor, ut a veteri scriptura recedam. Etenim haud raro poëtae in vocabulis metro repugnantibus modo corripiunt, modo producunt syllabas; quemadmodum Catull. c. LXVII, 139. dixit: *Coniugis in culpa flagravit quŏtīdiānā*, cum alibi sit: quŏtīdĭānus (Terent. Eun. II, III, 6. Heaut. II, III, 41. Phorm. I, III, 8.). Solemne hoc est in gen. pron. *alterius*, quem dichoreum quum dactylici versus respuerent, pro choriambo eo utebantur poëtae. Falluntur enim quicunque penultimam huius genit. brevem per se putant esse. (Grotef. t. II. p. 6. Ramsh. p. 718. Forcell. in Lex.) Qui error inde est ortus, quod raro in versibus, nisi dactylicis

Perque torum moveo brachia: nullus erat.
Excussère metus somnum. conterrita surgo,
Membraque sunt viduo praecipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis,
Utque erat a somno turbida, rapta coma est.
Luna fuit: specto, si quid, nisi litora, cernam:
Quod videant oculi, nil nisi litus habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro,
Alta puellares tardat arena pedes.

---

occurrit. Est tamen praeter locos a vett. gramm. (vid. Forc.) notatos apud Terentium Andr. IV, I, 4. versus creticus:

Álteriús sua ut cómparent cómmoda.

in quo non dubia est vocabuli prosodia. — Quare non dubitavi veterem scripturam retinere, quae et multo est aptior, et codd. consensu nititur. cf. ad Trist. IV, XII, 2.

v. 11. *Nullus erat.* i. e. nusquam. fere ut nos: da war kein Theseus. non multum differt ab illo tritissimo usu quo nullus ponitur loco simplicis negationis.

v. 15. *adductis palmis.* scil. in pectus; pectus plangentibus.

v. 16. *rapta coma est.* al. rupta. „*Rumpuntur* crines in luctu, planctu et similibus, rapiuntur in iurgio, vel cum aetate deficiunt. vid. III Art. am. 161 et 570. *turbida* vero coma hic est turbata, ut recte Douza etiam cepit. Sic alibi lib. III. Amor. XIV, 33.

Cur plus quam somno turbatos esse capillos.

Burm.: Non temere v. d. hoc discrimen statuere, praeter locum Heinsio laudatum Heroid. III, 15.

At lacrimas sine fine dedi, rupique *capillos.*

plures alii monent. Metam. X, 723.

— — — pariterque sinus, pariterque capillos
Rupit, *et indignis percussit pectora palmis.*

Amor. I, VII, 49. raptis *de fronte capillis.* Quare ego quoque mallem legere *rapta.*

Interea toto clamanti litore, Theseu!
  Reddebant nomen concava saxa tuum.
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat:
  Ipse locus miserae ferre volebat opem.
Mons fuit; apparent frutices in vertice rari,
  Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis.
Adscendo, vires animus dabat, atque ita late
  Aequora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum crudelibus usa)
  Vidi praecipiti carbasa tenta Noto.
Aut vidi, aut etiam, cum me vidisse putarem,
  Frigidior glacie semianimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor. excitor illo,
  Excitor, et summa Thesea voce voco.
Quo fugis? exclamo: scelerate revertere Theseu!
  Flecte ratem; numerum non habet illa suum.

---

v. 26. *Hinc scopulus.* al. nunc. „Nos recepimus *hinc scopulus:* non enim Ariadne mutatam ab eo tempore montis conditionem vult innuere, sed, ex monte partem, instar scopuli eminuisse in mare. ut V. Fast. 150. *Pars bona montis* saxum dicitur. *Pendet* vero eleganter, quia inferiori parte adesus aquis super aequor pendere videbatur." Burmannus. Ita Virgilius, Aen. I, 166. dixit: *scopulis pendentibus antrum,* et v. 310. *sub rupe cavata.*

v. 31. *Aut vidi, aut etiam.* Ita Heinsius dedit, non admodum concinna oratione. Alii: *aut v. aut certe.*

v. 36. *numerum non habet illa suum.* „Locutio haec quidem in alia re saepius occurrit, ut II Pont. VIII, 3.

Utque suum munus numerum, quem debet, haberet.

sed hic maxime proprie posita videtur; nam sic Cic. V. Verrin. 51. *Tuus testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit se in terram esse egressum, uti Pachyno e terrestri praesidio mili-*

Haec ego. quod voci deerat, plangore replebam.
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Iactatae late signa dedere manus.
Candidaque imposui longae velamina virgae,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Iamque oculis ereptus eras: tum denique flevi;
Torpuerant molles ante dolore genae.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Postquam desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha deo.
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua possum, pro te vestigia tango,
Strataque, quae membris intepuere tuis.

---

ies colligeret, *quos in navibus collocaret*, *quod certe non fecisset*, *si* suum numerum *naves haberent*." BURM.

v. 48. *ab Ogygio deo.* Ogygius dicitur Bacchus, quia Thebis natus erat. Ferebatur enim Ogyges antiquissimus Boeotiae rex fuisse. hinc passim Ogygius legitur pro Thebano, et apud Lucan. Phars. I, 675. est *Ogygius Lyaeus*.

v. 49. *in saxo frigida sedi.* Haec quum scriberet poëta, ante oculos fortasse habuit Ariadnes quaedam simulacra. Certe eiusmodi statua Dresdae asservatur (v. August. tom. I. tab. XVII.) quam Ariadnen esse statuit pater (T. I. p. 102 sq.) contradicente olim Böttigero, qui tamen in eandem postea abiit sententiam. vid. Praef. ad Amalth. tom. I, p. XXXV. — v. 52. *exhibere* idem est quod v. 55. *reddere*.

Incumbo, lacrimisque toro manante profusis,
Pressimus, exclamo, te duo, redde duos.
Venimus huc ambo: cur non discedimus ambo?
Perfide pars nostri lectule maior ubi est?
Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu,
Non hominum video, non ego facta boum.
Omne latus terrae cingit mare, navita nusquam.
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;
Quid sequar? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per aequora labar;
Temperet ut ventos Aeolus; exsul ero.
Non ego te, Crete, centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Iovi.
Nam pater et tellus iusto regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo.
Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quae regerent passus, pro duce fila dedi:

---

v. 60. *facta boum.* „*Τὰ ἔργα*, hoc est opera, intellige per facta, hoc est agri culturam, quam per *τὰ ἔργα* Graeci designabant. Iisdem *γῆς ἐργασία*, agri cultura, et *ἐργάζεσθαι* agrum colere et *ἐργάται* agrum colentes. Hinc Hesiodus Georgica sua *ἔργα καὶ ἡμέραι* inscripsit.“ Heins. Caeterum quivis facile videt Ovidium expressisse versum Homericum Od. X, 98.

Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα.

v. 61. *omne latus.* In quamcunque terrae partem te vertas, mari omnia cinguntur. Fere ut apud Horat. carm. I, XXII, 19. *latus mundi.* —

v. 67. *centum digesta per urbes.* Heroid. IX, 13. *in canes totidem digestus Cerberus.* et Metam. IV, 773. *Septem digestum in cornua Nilum.* comparavit Heinsius. — v. 71. *tecto recurvo,* Labyrintho. — v. 72. *pro duce,* quae te ducerent.

Cum mihi dicebas, per ego ipsa pericula iuro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.
Vivimus, et non sum Theseu tua: si modo vivis,
Femina periuri fraude sepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava:
Esset, quam dederas, morte soluta fides.

---

v. 73. *per ego ipsa pericula iuro.* Transponi amat praepositio in obtestandi formulis, ita tamen, quantum scio, ut si accedat pronomen *ego* nunquam non ante hoc ipsum collocetur. Terent. Andr. V, I, 15.

Per ego *te deos oro, ut ne illis animum inducas credere.*
Plaut. Menaechm. V, VII, 1.

Per ego *vobis deos atque homines dico.*
Virg. Aen. IV, 314.
Mene fugis? per ego *has lacrimas dextramque tuam te* (oro.)
Liv. XXIII, 9. Per ego *te, inquit, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque.* Quare non adsentio Bentleio qui Terent. Andr. III, III, 6. scripsit: *Per te ego deos oro.*

v. 75. *si modo vivis.* Similes querelas fundit Europe apud Horat. III, XXVII, 33 sqq. ubi, quod obiter moneam, turpe etiamnum residet mendum. Quorsum enim v. 57. languidum illud: *Vilis Europe.* Imo lege:

Vivis Europe? pater urget absens:
Quid mori cessas?

v. 76. *sepulta*, prodita et ad summam miseriam, quae mortis est instar, adducta. vid. Pont I, V. fin.

v. 77. *qua fratrem.* Cave Androgeum intelligas Athenis olim in Panathenaeorum celebratione interfectum. Is enim periit iussu Aegei. Hic autem Minotaurum dicit Ariadne, prodigiosum Pasiphaës natum.

Nunc ego non tantum, quae sum passura, recordor;
Sed quaecunque potest ulla relicta pati.
Occurrunt animo pereundi mille figurae.
Morsque minus poenae, quam mora mortis, habet.
Iam iam venturos aut hac, aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.
Forsitan et fulvos tellus alat ista leones?
Quis scit, an haec saevas tigridas insula habet?
Et freta dicuntur magnas expellere phocas,
Quid vetat et gladios per latus ire meum?

---

v. 79. *quae sum passura recordor.* Verbo *recordari* monente Burmanno de futuris ut hic utitur Iustinus lib. V, 7. *Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem et superbiam victorem que hostem praeponentes; iam ruinam urbis et incendia iam omnium captivitatem et miserrimam servitutem* recordantes. et eodem sensu verbo meminisse, lib. XI, 5. *Nec belli periculorumque, sed divitiarum* meminerant.

v. 86. *Quis scit, an — habet.* Indicativum hunc ante Heinsium veteres iam Grammatici aegre tulisse videntur, unde tanta orta est scripturae varietas. Ipse Heinsius in corrigendo versu mire ingenio suo abutitur. Verum est ex usu Latini sermonis dicendum fuisse *habeat*, sed quum toties Graecos hac in re imitati sint Romani scriptores, quid hic haereamus, nescio. Quod si Ovidio ipsi ulla venisset minus emendatae orationis suspicio, transpositis verbis facillime eam tollere potuit, h. i. m.

Forsitan et fulvos tellus habet *ista leones,*
Quis scit, an haec saevas tigridas insula alat?

Nam quod in priore etiam versu Heinsius dedit *alat*, id certe non est necessarium. — cf. autem Ramsh. L. G. §. 174. 2. Not. 2. mit der Anmerkung K.

v. 88. *Quid vetat.* libri *quis*, quod defendi potest, etiamsi plura quam Heinsius proferat aliquis exempla alterius dictionis. — Ad vv. sqq. cf. Horat. carm. III, XXVII, 63-66.

Tantum ne religer dura captiva catena,
  Neve traham serva grandia pensa manu.
Cui pater est Minos, cui mater filia Phoebi;
  Quodque magis memini, quae tibi pacta fui.
Si mare, si terras porrectaque litora vidi,
  Multa mihi terrae, multa minatur aquae.
Coelum restabat, timeo simulacra deorum,
  Destituor rapidis praeda cibusque feris.
Sive colunt, habitantque viri, diffidimus illis,
  Externos didici laesa timere viros.
Viveret Androgeos utinam, nec facta luisses
  Impia funeribus, Cecropi terra, tuis.
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
  Ardua parte virum dextera parte bovem.
Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem,
  Fila per adductas saepe recepta manus.
Non equidem miror, si stat victoria tecum,
  Strataque Cretaeam bellua stravit humum.

---

v. 95. *timeo simulacra Deorum.* Merito suspectus erat hic versus Burmanno, quamquam spurium eum esse non puto. Recepta enim Gronoviani cod. lectione: *ferarum*, non malum habebis sensum: Seu terram adspicio seu mare metum mihi incutiunt. Nec in coelum oculos convertere iuvat. Nam ibi etiam terrent me ferarum simulacra, i. e. astrorum figurae. ut Metam. II, 78. *per insidias iter est, formasque ferarum.*

v. 99. Utinam impia Androgei caedes non exstitisset causa mittendi Cretam iuvenes.

v. 102. *parte virum, parte bovem.* Minotaurum, quem Art. am. II, 24. dixit: *Semibovemque virum, semivirumque bovem.*

v. 104. *per adductas manus recepta*, nimirum dum neret. Heinsius coniecit *relecta*.

v. 106. *stravit humum.* al. *tinxit.* Heinsius coniecit: *planxit.*

Non poterant figi praecordia ferrea cornu;
  Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti;
  Illic qui silices Thesea vincat habet.
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
  At semel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque crudeles, venti, nimiumque parati,
  Flaminaque in lacrimas officiosa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit,
  Et data poscenti, nomen inane, fides.
In me iurarunt somnus, ventusque, fidesque.
  Prodita sum causis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo,
  Nec mea qui digitis lumina condat erit!
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
  Nec positos artus unguet amica manus!
Ossa super stabunt volucres inhumata marinae,
  Haec sunt officiis digna sepulcra meis!
Ibis Cecropios portus, patriaque receptus,

---

sed iure Burmannus nostram defendit lectionem comparans Virgil. Aen. VIII, 719. Horat. carm. IV, XIV, 32. etc.

v. 107. *cornu.* Nugantur, qui non de Minotauri cornibus accipiunt. Sive enim taurino corpore capite vero humano, sive humano corpore, solo tauri capite imposito fingebatur, cornibus tamen armari solet. (vid. August. tab. CLIV.)

v. 109. *adamanta.* ferrum dicat an lapidem dubium videri potest, quum Metam. VII, 32. praeter ferrum etiam adamanta commemoret. vid. adn. ad Trist. I, VIII, 43.

v. 123. *Ossa super.* Anastrophen recte veteres putabant esse. Burmannus maluit superstabunt, quod nescio quid habet ingrati.

Cum steteris urbis celsus in arce tuae,
Et bene narraris letum taurique, virique,
Sectaque per dubias saxea tecta vias:
Me quoque narrato sola tellure relictam:
Non ego sum titulis subripienda tuis.
Nec pater est Aegeus; nec tu Pittheidos Aethrae
Filius; autores saxa, fretumque tui.
Dii facerent, ut me summa de puppe videres,
Movisset vultus moesta figura tuos.

---

v. 129. *sola tellure.* al. solam quod deterius. An vero recte
v. 126. Heinsius vulgatae *turbae celsus honore tuae* praetulerit lectionem *urbis in arce*, non omni dubitatione vacare putaverim. Nam praeterquam minus gratus huius versus est sonus, et *narrantem* medium potius inter Athenienses ovantes et summis heroa laudibus cumulantes, quam in acropoli stantem tibi finxeris, est etiam Epist. II. locus prope gemellus quo priorem nostri loci scripturam firmari puto. Scribit ibi v. 67 sq. Phyllis Demophoonti:

Inter et Aegidas media statuaris in urbe,
Magnificus titulis stet pater ante suis.

Celsus autem est superbus, elatior. Liv. VII, 16. *Celsique et spe haud dubia feroces in proelium vadunt.* Hor. art. poët. v. 342.

Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes.

v. 130. *titulis tuis.* Ex more Romano dictum, quia res gestas, magistratus, honores, quibus quis clarus erat, monumentis publicis memoriae tradere solebant. vid. Mitscherl. ad Hor. carm. IV, XIV, 4.

v. 133. *summa de puppe.* quo loco stare solebant navium ductores; quae res tam vulgaris est, ut mirari subeat, Heynium in loco Virgilii, Aen. I, 187. — *aut celsis in puppibus arma Caici* cogitasse de aplustribus, alios de armis in puppi religatis, aut de navis insignibus. Quin potius ipsum Caicum intelligamus, stantem in puppi, et armorum fulgore conspicuum. Quoties autem apud eundem poëtam dicitur Aeneas *stans celsa in puppi!*

Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente,
Haerentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.
Adspice demissos lugentis in ore capillos,
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.
Corpus ut impulsae segetes Aquilonibus horret,
Litteraque articulo pressa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.
Debita sit facto gratia nulla meo.
Sed nec poena quidem, si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur tu sis mihi causa necis.
Has tibi plangendo lugubria pectora lassas,
Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, qui superant ostendo moesta capillos,
Per lacrimas oro, quas tua facta movent:
Flecte ratem, Theseu; versoque relabere velo:
Si prius occidero, tu tamen ossa leges.

---

v. 141. *Quoniam male cessit.* unde tantum mihi natum est malum. *adorare* autem recte pro simplici orare dictum indicavit Burmannus. cf. Broukh. ad Prop. I, IV, 27.

v. 143. *nec poena quidem.* at saltem poena absit. *quidem* est Graecorum *γέ.* vid. Herm. ad Vig. p. 824 sq. ubi similis est locus Sophocl. Oed. Col. 1409. *μή μ' ἀτιμάσητέ γε.*

v. 147. *qui superant.* vid. v. 16. Miratur Burmannus, quomodo absenti tam longe Theseo ostendere possit capillos!

Heroid. Epist. XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni,
Caetera nuptarum crimine turba iacet.
Clausa domo teneor, gravibusque coërcita vinclis.
Est mihi supplicii causa fuisse piam.
Quod manus extimuit iugulo demittere ferrum,
Sum rea: laudarer, si scelus ausa forem.
Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti,
Non piget immunes caedis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;

v. 1. *Mittit* scil. salutem, aut nuntium, qua ellipsi passim scriptores utuntur. Cic. Att. II, 2. *Nam ita ad me* mittunt, *Nigidium minari in concione.* Senec. Controv. III, 18. *Cum enim ille* misisset *ad Laberium in quatuordecim sedere volentem, nec locum invenientem: recepissem te, nisi anguste sederem; Laberius ad Ciceronem* remisit: *Atqui soles duabus sellis sedere.* vid. Drakenborch. ad Liv. VIII, 23. et Gronov. ad eiusd. XXXIV, 29. *Hypermnestra.* al. Hypermnestre. sed monuit Burmannus similia nomina, ut *Leda*, *Phaedra*, *Hybla*, *Electra* (Propert. II, XI, 5.) saepe ultimam producere. *de tot fratribus*, quia quinquaginta Aegypto filii fuisse dicebantur.

v. 3. *Clausa domo.* Tradit hoc etiam Apollodorus II, I, 5. praeter quem vide Hor. carm. III, XI, quod egregium carmen Nasonem ante oculos habuisse, quum hanc scriberet epistolam, in aperto est.

v. 9. *igne, quem non violavimus.* „Hunc locum longius quidam referunt, videlicet ut de eo igne accipiatur, quem nova nupta

Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces.
Aut illo iugulet, quem non bene tradidit, ense;
Ut, qua non cecidit vir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, poenitet, ora,
Efficiet; non est, quam piget esse piam.
Poeniteat sceleris Danaum, saevasque sorores,
Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis,
Et subitus dextrae praepedit orsa tremor.
Quam tu caede putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi caede timet.
Sed tamen experiar. Modo facta crepuscula terris,

---

cum aqua, ex more nuptiali tangere solebat. de qua re Plutarchus in Problematibus [Romanis] meminit [p. 263. διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι;]. Sed ego haec non ita anxie perquirenda existimo, ignemque nuptialem simpliciter intelligo, ut sint παραλλήλως dicta *ignis* et *faces*, de quibus in sequenti versu dicitur. Quae figura poëtis est familiarissima." MICYLLUS. Recte. Praeter faces enim ullum in sacris nuptialibus ignis fuisse usum, nusquam legimus. Varro apud Serv. ad Virg. Aen. IV, 104. *Aqua et igni mariti uxores accipiebant. Unde et hodie faces praelucent et aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum vel puellam, quae interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lavari.* cf. Böttig. Aldobrand. Hochzeit. p. 157.

v. 14. *non est, quam piget.* Heinsius ex coniectura, ut videtur, dedit: *non es.* Sed num hic, obsecro, Apostrophae ad se ipsam est locus? — In codd. quibusdam erat: *non sum*, quo omnis quidem tollitur difficultas, quod tamen ob id ipsum suspectum est. Equidem, quum *morientia ora* sint pro *morientis*, defendi ita posse vulgatam puto, ut quasi convertens se ad percussores dicat: ea, quam vos trucidatis, non est etc. In quibusdam tamen codd. est: *nupta cadat.* — v. 18. *orsa.* in codd. est ossa quod correxit Naugerius.

Ultima pars lucis primaque noctis erat.
Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit aede nurus.
Undique collucent praecinctae lampades auro;

---

v. 22. Heinsius e quibusdam Mstis dedit inverso ordine

Ultima pars noctis, primaque lucis erat.

In multam enim noctem protracta coena sub exortum lucis, sponsos cum novis nuptis in thalamum esse ductos. In quo mirare infelicem corrigendi libidinem, qua quasi obcaecatus non vidit, totam narrationem alteram fatigare scripturam. Nam ut taceam *vulgo comitante* eos processisse, aptene nascente iam die diceretur *alta securum per Argos quies?* An posset Hypermnestra monere Lyncea: *fuge dum nox atra sinit?* (v. 78.) Deinde dicine debuit *modo facta crep.*, an *iam f. cr.?*

v. 23. *magni sub tecta Pelasgi.* Burmannum post ea quae Spanhemius ad Callim. Pall. v. 4. disseruerat praetulisse lectionem *sub tecta Tyranni*, quis non miretur. Pelasgum sive Palaechthonis, sive Inachi fuerit, Argivorum tamen fuisse regem testantur varii scriptores. Aeschyl. Suppl. 249 sqq.

τοῦ γηγενοῦς γάρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος
Ἶνις Πελάσγου, τῆς δε γῆς ἀρχηγέτης.
ἐμοῦ δ' ἄνακτος εὐλόγως ἐπώνυμον
γένος Πελασγῶν τήνδε καρποῦται χθόνα.

ubi alii legunt *Ἶνις Πελασγός.* Dionys. Halic. Ant. R. I, 17. *τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην, ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ τῆς Νιόβης, τοῦ Φορωνέως.* Intellige igitur regiam a Pelasgo olim exstructam vel habitatam, deinde Danao, ad quem ipsum cum filiis hospitem venisse Aegyptum Noster narrare videtur, (cf. v. 111.) quum caeteri poëtae et mythographi filiorum tantum mentionem faciant. vid. Apollod. II, 1, 4. — Deinde quaerere aliquis poterit, quo iure Danai filiae *Inachides* vocentur, quod nomen si omnibus Argivis puellis recte tribuitur, non aeque advenis illis, quae quidem perhibentur, deberi fortasse videatur. Quare ipse aliquando legendum coniiceram *Inachidas Pelasgi.* Sed vana haec sunt; sequitur enim poëta eos scriptores, qui ipsum Danai genus ab Epapho, Ius filio,

Dantur in invitos impia tura focos.
Vulgus Hymen, Hymenaee, vocant: fugit ille vocantes;
Ipsa Iovis coniux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,
In thalamos laeti, thalamos sua busta feruntur,
Strataque corporibus funere digna premunt.
Iamque cibo, vinoque graves, somnoque iacebant,
Securumque quies alta per Argos erat.

Inachi nepotem deducebant. cf. Ottfr. Müller Gesch. Hell. Stämme Bd. I. p. 109. Quod certius etiam tibi persuadebis, si comparaveris Aeschylum Prom. v. 852 sqq. ubi Prometheus Ioni vaticinatur:

πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ ('Επάφου) γέννα πεντηκοντόπαις
πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται.

et Suppl. v. 530 sqq. ubi Chorus Danaidum precatur:

("Ολβιε Ζεῦ,) νέωσον εὔφρον' αἶνον
γενοῦ πολυμνήστωρ, ἔφαπτορ 'Ιοῦς,
δι' ἆς τοι γένος εὐχόμεθ' εἶναι,
γᾶς ἀπὸ τᾶσδ' ἔνοικοι.
παλαιὸν δ' εἰς ἴχνος μετέσταν,
ματέρος ἀνθονόμους ἐπωπάς. κ. τ. ἑ.

Inde enim petitum etiam est, quod v. 85. Noster subiungit episodium.

v. 26. *Dantur tura in focos.* Romanum magis quam Graecum morem respexisse videtur. Böttiger. Aldobr. Hochz. S. 72. „Das feierliche Opfer, welches der Römer mit seiner Darstellung der Hochzeit fast immer in Verbindung setzt, wurde bei den Griechen schon einen Tag früher gebracht (daher heifst es *προτέλεια*).

v. 27. *Hymenaee.* Cantus in deductione solemnis, quem cave confundas cum epithalamio, in ipsa sponsi domo cantari solito. vid. Böttig. l. l. p. 73.

v. 29. *Mero dubius,* ἀμφίβολος, eleganter dicitur, qui vino gravis, nimium, vix compos est. In Pont. IV, III, 32. *dubius per est.* — *comitum clamore frequentes* an latinum sit dubi-

Circum me gemitus morientum audire videbar,
Et tamen audibam, quodque verebar erat.
Sanguis abit, mentemque calor, corpusque reliquit,
Inque novo iacui frigida facta toro.
Ut leni Zephyro graciles vibrantur aristae,
Frigida populeas ut quatit aura comas.
Aut sic, aut etiam tremui magis; ipse iacebas,
Quaeque tibi dederam vina, soporis erant.
Excussere metum violenti iussa parentis;
Erigor, et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar, ter acutum sustulit ensem,
Ter male sublato decidit ense manus.
[Admovi iugulo, sine me tibi vera fateri,
Admovi iugulo tela paterna tuo.]

---

tavit Burmannus, nec mihi satis perspecta est loci ratio. Si scriptura est sana, vix alio sensu accipi potest, quam ut sit stipati, ita ut *frequentes* positum putemus pro frequentati, et *comitum clamore* pro comitibus acclamantibus. Quum tamen Heroid. XII. v. 143. sit: *Hymen clamant*, *Hymenaee frequentant*, vitii inde suspicio venire possit.

v. 39. *Ut leni Zephyro.* Imitatio Homeri Iliad. II, 147.
ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπί τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν.
Praeclare etiam Virg. Georg. III, 198. *segetes altae campique natantes lenibus horrescunt flabris.*

v. 40. *frigida aura.* Aquilo.

v. 46. *decidit manus.* Heinsius contra libros dedit *recidit*: quo non opus est. Praecesserat enim *sustulit.* — v. 47. 48. ut spurios notarunt critici. In aliis codd. erat: *At rursus monitis iussuque coacta parentis Admovi* etc. — Deinde, ne abrupta tibi

Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis,
Castaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
Saevus Hypermnestra pater est tibi, iussa parentis
Effice, germanis sit comes iste suis.
Femina sum et virgo; natura mitis, et annis:
Non faciunt molles ad fera bella manus.
Quin age, dumque iacet fortes imitare sorores,
Credibile est caesos omnibus esse viros.
Si manus haec aliquam posset committere caedem,
Morte foret dominae sanguinolenta suae.
Quo meruere necem, patruelia regna tenendo,
Quae tamen externis danda forent generis?
Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsae?
Quo mihi commisso non licet esse piae?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae?
Aptior est digitis lana colusque meis.
Haec ego, dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur,

---

a v. 53-60. singula videantur disticha, intellige Hypermnestram, incertam quid agat, animo divorsum trahi, donec (v. 61 seqq.) meliora consilia superant. — v. 55. *natura*, quia femina; *annis*, quia virgo sum.

v. 62. *generis*. Unicum hunc esse in melioribus Ovidii poëmatis pentametrum, qui anapaesto terminetur, monui ad Trist. IV, X, 2. Quamquam hic etiam de veritate scripturae dubitant; nam in codd. quibusdam est: *Quae tamen externis regna tenenda forent*, vel *Quae tamen externis accipienda forent.*

v. 67. *sua verba*, quae decent lacrimae. Ita Heroid. XII, 135. *iusto desunt sua verba dolori.*

Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, sopitaque brachia iactas,
Pene manus telo saucia facta tua est.
Iamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam,
Expulerunt somnos haec mea dicta tuos.
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.
Territus exsurgis, fugit omnis inertia somni,
Adspicis in timida fortia tela manu.
Quaerenti causam, dum nox sinit, effuge, dixi:
Dum nox atra sinit, tu fugis: ipsa moror.
Mane erat, et Danaus generos ex caede iacentes
Dinumerat, summae criminis unus abes.
Fert male cognatae iacturam mortis in uno,
Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus, raptamque capillis,
(Haec meruit pietas praemia) carcer habet.
Scilicet ex illo Iunonia permanet ira,
Quo bos ex homine est, ex bove facta dea:
Ah satis est poenae teneram mugisse puellam,
Nec modo formosam posse placere Iovi.

---

v. 82. *facti sanguinis*, i. e. caedis. cf. Burm. et Drakenb. ad Liv. II, XXX. *Plusque ibi sanguinis, quam in ipsa dimicatione factum.* Eurip. Orest. v. 1132. Matth.

κακῆς γυναικὸς οὕνεχ᾽ αἷμ᾽ ἐπράξαμεν.

v. 85. *Scilicet ex illo* etc. Simile Iunoniae irae exemplum habes apud Horat. carm. III, III, 21 sqq. — Iovis atque Ius amores inexpiabile excitasse dicit Iunonis odium; hinc totum genus calamitatibus vexari. — v. 86. *ex bove Dea.* Isis. cf. Schol. ad Eurip. Phoen. v. 683. Noster Met. I, 747.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis.
Conatoque queri, mugitus edidit ore,
Territaque est forma, territa voce sua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?
Illa Iovis magni pellex, metuenda sorori,
Fronde levas nimiam, cespitibusque famem;
Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram,
Et te ne feriant, quae geris arma, times.
Quaeque modo, ut posses etiam Iove digna videri,
Dives eras, nuda nuda recumbis humo.
Per mare, per terras, cognataque flumina curris,
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? eadem sequerisque, fugisque,
Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in aequor,
Exuit insanae pellicis ora bovis.
Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus

v. 89. *liquidi parentis.* Inachi fluvii. Metam. I, 639.
Venit et ad ripas, ubi ludere saepe solebat,
Inachidas ripas.
quem totum confer locum. — v. 90. *cornua non sua.* non sibi propria, sed formae quam induta erat. vide quae dixi ad Trist. III, IV, 22.

v. 95. *metuenda sorori.* Iovis scilicet, Iunoni.

v. 101. *per mare.* Ionium et Bosporum Thracium, qui inde nomina traxisse ferebantur.

v. 107. 108. *Nilus exuit ora bovi.* vid. Met. l. I. v. 728 sqq. Aeschyl. Prom. v. 845.

Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.
Bella pater patruusque gerunt: regnoque, domoque
Pellimur, eiectas ultimus orbis habet.
Ille ferox solus solio sceptroque potitur,
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguissima restas;
Quique dati leto, quaeque dedere, fleo.

ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός,
Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι·
ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα.

portus recte contra Heinsium et Bentleium (ad Hor. III, XXIX, 34.) defendit Burmannus ad Amor. II, XIII, 10. „quia singula ostia opportunos portus faciunt.

v. 109. Sed quid priores meae domus calamitates referam, quas ipsa narrationibus accepi? Hoc ipsum, quo vivo, tempus habet, quod querar. — *Ultima* sunt remotissima (vid. ad Trist I, III, 83.) vel antiquissima. Cic. Arch. I. *Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari* ultimam.

v. 111. *regnoque domoque pellimur.* Paullo aliter rem narrat Apollod. II, I, 4. et Schol. Eurip. Orest. secundum quos non pellitur Danaus, sed metu Aegypti filiorum, et monitu Deae vel oraculi fugam parat. neque aliter Aeschyl. init. Suppl. Excusari tamen hoc potest, quum tamen invitus patriam reliquerit Danaus. Ipse Aeschylus Prom. 853. dixerat eum *οὐχ ἑκόντα πρὸς Ἄργος ἐλεύσεσθαι.*

v 112. *ultimus orbis.* Argos, remotissima a patria Hypermnestrae terra. vid. ad Trist. I, III, 83. — v. 115. *pars exiguissima. Assiduissime* ex Cic. de clar. orat. XCI. comparavit Ciofanus. *arduissimo aditu* ex Catone, *egregiissima forma* e Pacuvio, *perpetuissimo curriculo* ex eodem Catone laudavit Prisc. III, I. p. 108. Krehl. *vacuissimus* est apud Nostr. Pont. III, I, 141.

Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores;
Accipiat lacrimas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, poenae crucianda reservor,
Quid fiet sonti, cum rea laudis agar?
Et consanguineae quondam centesima turbae,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, si qua piae, Lynceu, est tibi cura sororis,
Quaeque tibi tribui munera dignus habes:
Vel fer opem, vel dede neci, defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis.
Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa,
Sculptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.
Exsul Hypermnestra, pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.
Scribere plura libet; sed pondere lassa catenae
Est manus, et vires subtrahit ipse timor.

---

v. 128. *Sculptaque.* Revocavi probam quae olim obtinuit scripturam, pro qua Burmannus ex Heinsii coniectura dederat *scriptaque.* Hor. in carm. I. v. 51. *nostri memorem sepulcri scalpe querelam.* Hanc totam cum nostro carmine confer narrationem, ut tibi persuadeas, pleraque Nostrum inde mutuatum esse.

Amor. I, II.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?
Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi;
Lassaque versati corporis ossa dolent.

v. 1. Gratissimo lusu poëta novam se Cupidinis esse praedam fatetur, quem obsecrat, velit abstinere a bello. Iam victas se dare manus paratumque esse, quem in triumpho habendo ducat. Quae pompa qualis futura sit, in reliqua carminis parte narrat, versibus leporis et Veneris plenis. In fine carminis hortatur Cupidinem, ut eadem, qua Augustus in victos sit clementia. — *Esse quid hoc dicam.* Eadem locutio est apud Senec. in Praef. Controv. *Quid hoc esse dicam, quod me tam periculose abdicant.* — v. 2. *pallia.* intellige stragulum, quo utebantur dormientes. Auctor Epist. Cydipp. v. 169.

At mihi, vae! miserae torrentur febribus artus,
Et gravius iusto pallia *pondus habent.*

Prop. IV, III, 31.

Tum queror, in toto non sidere pallia *lecto.*

ubi habes etiam verbum respondens nostro *sedere*, i. e. manere.

v. 3. *quam longa.* Comparavit Marius Virgil. Aen. IV, 193.

Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, *fovere.*

et VIII, 86.

Thybris ea fluvium, quam longa est, *nocte tumentem.*
Leniit.

Qui sequitur versus paucis mutatis redit Trist. IV, III, 26.

Nam puto sentirem, si quo tentarer amore:
An subit, et tacita callidus arte nocet?
Sic erat, haeserunt tenues in corde sagittae:
Et possessa ferus pectora versat Amor.
Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus. leve fit, quod bene fertur, onus.
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
Detrectant pressi dum iuga prima boves.
Asper equus duris contunditur ora lupatis:
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
Acrius invitos, multoque ferocius urget,
Quam qui servitium ferre fatentur, Amor.

---

v. 6. *tacita arte.* vid. ad Trist. IV, X, 27.

v. 13. *quam quos iuvat usus aratri.* Displicuit hoc Burmanno, quia nunquam delectaret usus rei gravis et molestae; at *iuvare* non est delectare, sed prodesse, nostrum zu Statten kommen. Vult igitur poëta hoc: Quemadmodum plura verbera patiuntur tauri iuga insolita detrectantes, quam boves adsueti labori, ita, qui repugnat Amori gravius urgetur, quam qui promtus est ad servitium.

v. 15. *lupatis.* Lupata genus erat frenorum, asperum insertis lupis, i. e. ferreis aculeis, qui Graecis etiam dicebantur *λύκοι*; quod Hesychius explicat: *τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον.* Iidem vocabantur *ἐχῖνοι* (Xenoph. de re equestri X, 6.) et *τρίβολοι* (Polluci), totumque frenum *χαλινὸς τραχύς.* cf. Plut. Symposiac. II, 8. tom. VIII. p. 542. ed. Reisk. *Ἵππους λυκοσπάδας οἱ μὲν ἀπὸ τῶν χαλινῶν τῶν λύκων ἔφασαν ὠνομάσθαι, διὰ τὸ θυμοειδὲς καὶ δυςκάθεκτον οὕτω σωφρονιζομένους.* cf. Serv. ad Virg. Georg. III, 208. — v. 16. *quisquis ad arma facit*, qui docilis est, nec repugnat equiti. cf. Virg. Georg. III, 179 sqq.

En ego confiteor: tua sum nova praeda, Cupido,
  Porrigimus victas ad tua iura manus.
Nil opus est bello; pacem veniamque rogamus,
  Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.
Necte comam myrto; maternas iunge columbas;
  Qui deceat, currum vitricus ipse dabit.
Inque dato curru, populo clamante Triumphum,
  Stabis, et adiunctas arte movebis aves.

---

v. 19. *nova praeda.* i. q. v. 29. praeda recens. Primos amores videtur significare. — v. 20. *ad tua iura.* quidquid imperaveris faciam. *iura* pro legibus sive imperio habes etiam Pont. IV, VII, in.

Missus es Euxinas quondam, Vestalis, ad undas,
Ut positis reddas iura *sub axe locis.*

cf. Metam. XIII, 25. Virg. Aen. I, 292 sq.

Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura *dabunt.*

Nec dissimiliter Prop. III, XIX, 5. dixit *signanda iura.* et eodem sensu puto scripsisse Virgilium, Aen. I, 426.

Iura *magistratusque legunt, sanctumque senatum.*

v. 23. *Necte comam myrto.* Solebant enim triumphantes lauro vincire tempora. cf. Nostr. Trist. IV, II, 51. Plin. H. N. XV. 39. (30.) *Laurus triumphis proprie dicatur.* Quae quum parum apta foret Cupidini, maternam ei commendat myrtum, pro equis triumphalibus matris columbas; currum autem ipsum daturum esse Vulcanum, pulcherrimorum quorumvis operum artificem. Praeterea myrti aptissime hic fit mentio, quoniam ea ovantes tempora velabant. Plin. H. N. XV, 38. (29). *Triumphans de Sabinis Postumius Tubertus in Consulatu (qui primus omnium ovans ingressus Urbem est) quoniam rem leviter sine cruore gesserat, myrto Veneris Victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Haec postea ovantium fuit corona.* cf. Gell. V, 6. et Pomp. Laet. in sing. de triumpho capite.

v. 25. *clamante triumphum.* Quia clamor populi et militum:

Ducentur capti iuvenes, captaeque puellae:
  Haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipse ego, praeda recens, factum modo vulnus habebo,
  Et nova captiva vincula mente feram.
Mens Bona ducetur manibus post terga retortis,
  Et Pudor, et castris quidquid Amoris obest.
Omnia te metuent; ad te sua brachia tendens,
  Vulgus, Io, magna voce, Triumphe canet.

Io Triumphe quasi invocatio est Triumphi. Eodem fere modo carmen nuptiale a frequenti dei invocatione (vid. Catull. carm. LX. et LXI.) ipsum Hymenaeus dicebatur, et ab Appollinis invocatione Paean nomen traxit.

v. 33. *tendens.* An recte fecerit Heinsius, dum vulgatam *tendent* cum participio unius auctoritate commutavit, dubito. Brachia enim tendere est metuentis et vulnera deprecantis, non exsultantis. Virg. Aen. I, 93.

Ingemit, *et duplices* tendens *ad sidera* palmas,
Talia voce refert.

id. ib. I, 487.

Tendentemque manus *Priamum conspexit inermes.*

id. ib. X, 595. *Frater* tendebat *inermes infelix* palmas. cf. Ovid. Met. VI, 279. XIII, 411. Hinc adorantes et precantes palmas tendebant, quippe qui divinam opem implorarent. cf. Levezow, de iuvenis adorantis signo. — Neque aliter Graeci utuntur verbis *ἀνατείνειν*, *ἀνασχεῖν*, *ὀρέγειν χεῖρας*. vid Mitscherl. ad Hor. carm. III, XXIII, 1. Odyss. IX, 294.

ἡμεῖς δὲ κλαίοντες ἀνεσχέθομεν Διῒ χεῖρας.

atque eodem sensu dici videtur *πετάσαι* Iliad XIII, 548.

— — — ὁ δ' ὕπτιος ἐν κονίῃσιν
κάππεσεν, ἄμφω χεῖρε φίλοις ἑτάροισι πετάσσας.

Locum autem Odyss. XVIII, 99. recte interpretatus est Eustathius.

Blanditiae comites tibi erunt Errorque, Furorque,
Assidue partes turba secuta tuas.
His tu militibus superas hominesque, deosque,
Haec tibi si demas commoda, nudus eris.
Laeta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet, et appositas sparget in ora rosas.
Tu pennas gemma, gemma variante capillos,
Ibis in auratis aureus ipse rotis.
Tum quoque non paucos (si te bene novimus) ures:
Tum quoque praeteriens vulnera multa dabis.
Non possunt (licet ipse velis) cessare sagittae:
Fervida vicino flamma vapore nocet.

---

v. 35. *Errorque Furorque.* Ante Heinsium legebatur Terror, sed in re amatoria saepius usurpari hanc vocem (ut nostrum *Wahn*) docuit Heinsius. Virg, Ecl. VIII, 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

Nost. Metam. X, 342, *retinet malus* error *amantem. Furor.* summus amantium ardor. Leidenschaft.

v. 38. *commoda.* Incommodam hanc vocem dixit Burmannus, qui ironiam subesse suspicabatur. Equidem, quamquam desunt Latini usus exempla, eo sensu dictum puto, quo Graeci *ὄφελος* dicere consueverunt. Aristoph. Plut. v. 1153.

τί δῆτ' ἂν εἴης ὄφελος ἡμῖν ἐνθάδ' ὤν.

ubi Fisch. „*ὄφελος εἶναί τινι* eleganter dicitur is, qui alicui utilis est, qui alicui usum praestat."

v. 41. *gemma.* Sic. et Rem. Am v. 39. *movit Amor* gemmatas *aureus alas.*

v. 46. *Fervida — nocet.* „Nimirum etiam in ipso triumpho, cum iam cessare deberent tela Cupidinis, tamen eam esse Cupi-

Talis erat domita Bacchus Gangetide terra:
Tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.
Ergo, cum possim sacri pars esse triumphi,
Parce tuas in me perdere, victor, opes.
Adspice cognati felicia Caesaris arma;
Qua vicit, victos protegit ille manu.

---

dinis et eius armorum conditionem et vim, ut licet ipse velit, non possint ita cessare, quin in transitu etiam laedant spectatores. eodem modo ut flamma fervida, licet non attingat et comprehendat, tamen vicinitate sua adflat et nocet rebus proximis. sic vicinus vapor est praetereuntis Cupidinis." BURMANNUS.

v. 47. Talem subacta India Bacchus egit triumphum.

v. 48. *gravis.* sc. currum premens.

v. 49. *cum possim.* cum non repugnem.

v. 51. *cognati.* qui ab Iulo Veneris nepote genus ducebat.

v. 52. pro *vincit* al. *vicit*.

Amor. II, VI.

Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis
  Occidit: exsequias ite frequenter, aves.
Ite, piae volucres, et plangite pectora pennis;
  Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro moestis lanietur pluma capillis,

---

v. 1. Psittacum Corinnae mortuum dolet, alitem praestantissimam, quare omnes provocat volucres ad iusta, ei rite ferenda. Deinde in laude Psittaci moratur, qui magnarum virtutum iam praemia sit laturus: manere enim in Elysii nemore beatam pias volucres vitam. — Habuit in hac elegia quem sequeretur Catullum, qui carmine tertio passeris obitum deflet. Nostrum imitatus est Statius Silv. II, IV. qui itidem in psittaci mortem composuit carmen. — *imitatrix* humanarum scil. vocum. *ales ab Indis* est Indica. Ita Virg. Georg. III, 2. *te memorande canemus, Pastor ab Amphryso.* II, 243. *dulces a fontibus undae.* Nost. Pont. III, I, 50. *comites ex Helicone.* In quibus praepositio inservit circumscribendo adiectivo. Neque respuunt hoc prosae orationis scriptores. Liv. XXXI, 22. *praedonum a Chalcide naves.* vid. Drakenb. ad IV, 7. et III, 48. Nec multum dissimile est quod apud Florum legitur IV, II, 67. *Elephanti bellorum rudes et nuperi a silva.* et Virg. Georg. I, 20.

Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.

al. legunt. *ales mihi missus a. I.* vel *nuper m. m.*

v. 2. *exsequias ite,* i. e. ad exsequias. Sil. Ital. XV, 394. *Ite superbae exsequias animae.* — al. *exsequias ferte.*

v. 5. *moestis capillis.* Capilli qua figura moesti dicantur miratur Burmannus: quia scilicet horridae passaeque comae moestitiae erant signum. Veteres enim tam Graeci quam Romani, ut diligentes erant omnino in comendis ornandisque crinibus, ita in rebus calamitosis, maxime in funeribus, neglecto capillorum cultu interdum etiam tonsa coma moestam turbatamque mentem signi-

Pro longa resonent carmina vestra tuba.
Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in rarae miserum devertite funus.
Magna, sed antiqui causa doloris Itys.
Omnes, quae liquido libratis in aëre cursus;
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,

---

ficabant. *ὁμοιοπαθεῖς γὰρ τοῦ κεκμηκότος κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῇ τε κουρᾷ τῶν τριχῶν καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει.* Athen. lib. XV. p. 675. cf. Winkelm. W. Bd. V. p. 52. Kirchm. de fun. II, 13. — Eandem ob causam *horridas* vult esse avibus plumas.

v. 6. *pro tuba.* Adfuerunt enim in funeribus, qui tuba canerent, quos Siticines dictos esse tradit Gellius N. A. XX, 2. *Nos autem in Capitonis Atteii Coniectaneis invenimus* Siticines *appellatos, qui apud sitos canere soliti essent; hoc est vita functos et sepultos, eosque habuisse proprium genus tubae qua canerent* etc. — cf. Virg. Aen. XI, 191. in exsequiis occisorum,

It coelo clamorque virum, clangorque tubarum.

Horat. Sat. I, VI, 42 sqq.

— — — *at hic si plostra ducenta*
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua *quod vincatque* tubas.

v. 7. *Ismarii tyranni.* Terei Thracum olim regis, deinde Phocidis incolae. *Ismarus* enim sive *Ismara* Thraciae mons est.

v. 9. *devertite.* Quum ad solam Philomelam sermo sit, Heinsius coniecit: *devertere,* quod, si per Codd. liceret, praeferrem.

v. 12. *turtur amice.* Naturalem quandam esse inter turtures et psittacos amicitiam tradit Plinius H. N. X, 96. (74.) Noster Heroid. XV, 38.

Et niger a viridi turtur amatur ave.

Et stetit ad finem longa, tenaxque fides.
Quod fuit Argolico iuvenis Phoceus Orestae,
Hoc tibi, dum licuit, Psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides; quid rari forma coloris;
Quid vox mutandis ingeniosa sonis;
Quid iuvat, ut datus es, nostrae placuisse puellae?
Infelix avium gloria, nempe iaces!
Tu poteras virides pennis hebetare zmaragdos,
Tincta gerens rubro punica rostra croco.

---

v. 14. *ad finem.* i. e. perpetuo, semper: fere ut Graecorum *διὰ τέλους*. Xenoph. Anab. VI, VI, 11. *ἦν δὲ ὃν ἐξῄτει Ἀγασίας, διὰ τέλους φίλος τῷ Ξενοφῶντι.* Idem Cyrop. VII, V, 75. *οὐ γάρ τοι τὸ ἀγαθοὺς ἄνδρας γενέσθαι τοῦτο ἀρκεῖ ὥστε καὶ διατελεῖν ὄντας ἀγαθούς, ἢν μή τις αὐτοῦ διὰ τέλους ἐπιμελῆται*, et qui nostro loco magis etiam congruus est. Isocr. Aegin. in. *ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων γνώσεσθε, ἐπειδὰν διὰ τέλους ἀκούσητε τῶν πεπραγμένων.*

v. 20. *nempe iaces.* Nempe haec sunt meritorum tuorum praemia, mors sc. Falsa autem sunt quae Forcellinus de particula *nempe* tradit: „vim habet concedentis, seu approbantis simul, et explicantis.“ Est potius particula coniecturalis, qua utuntur, qui aliorum cogitationes et consilia divinant. Terent. Andr. I, I, 1 sq.

SI. Vos istaec intro auferte: abite. Sosia
Adesdum: paucis te volo. SO. Dictum puta:
Nempe *ut curentur recte haec. SI. Immo aliud.*

ibid. I, II, 26.

SI. Nempe *ergo aperte vis quae restant me loqui? D. Sane quidem.*

Horat. Sat. I, X, 1.

Nempe *incomposito dixi pede currere versus (Lucili).*

Iacere de morte supra erat Heroid. XIV, 2.

v. 21. *Tu poteras hebetare zmaragdos.* Prae tuarum pennarum splendore ipse zmaragdorum hebes i. e. languidus videbatur color.

Non fuit in terris vocum simulantior ales;
  Reddebas blaeso tam bene verba sono.
Raptus es invidia, non tu fera bella movebas.
  Garrulus, et placidae pacis amator eras.
Ecce! coturnices inter sua proelia vivunt,
  Forsitan et fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec prae sermonis amore,
  In multos poteras ora vacare cibos.
Nux erat esca tibi, causaeque papavera somni,
  Pellebatque sitim simplicis humor aquae.

---

v. 24. *Reddebas*, auditorum memor. — *blaeso sono* unde Stat. v. 3. dixit *murmura*.

v. 27. *coturnices*, cum perdicibus pugnas inire refert Forc. in Lex. laudans Arist. Hist. an. VIII, 9. Qui error natus est e male intellecta adnotatione Domin. Marii Nigrini. Aristoteles enim l. l. perdices inter se pugnare ait de feminis, de quibus ubi exposuit addit: *καὶ ἐπὶ τῶν ὀρτύγων ὡσαύτως*, i. e. idem mos est coturnicibus.

v. 29. *Plenus eras*. i. e. satur. cf. Horat. Epist. II, I, 100. — In sequentibus: *poteras ora vacare* an elegans sit graecismus, ut iudicavit Heinsius, haud dixerim. Al. legunt *poterant*.

v. 31. *causae papavera somni*. Fast IV, 547.

— — — Somnique *papavera* causas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Caeterum eandem sententiam splendidissimis versibus expressam habes apud Virg. Georg. III, 526 sqq.

— — — *Atqui non Massica Bacchi*
Munera non illis epulae nocuere repostae:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae.
Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubres.

Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
  Miluus, et pluviae graculus auctor aquae.
Vivit et armiferae cornix invisa Minervae,
  Illa quidem saeclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanae vocis imago
  Psittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
  Implentur numeris deteriora suis.

---

v. 34. *Graculus pluviae auctor aquae.* Graculum dicit cornicis loco, haec enim est *Imbrium divina avis imminentum.* Hor. carm. III, XXVII, 10. Pro *auctor aquae* Heins. coniecit *augur* comparans Horat. III, XVII, 12. *aquae nisi fallit* augur, *Annosa cornix.* Ipse tamen pro vulgata stare fatetur illa Prop. IV, III, 32.

Lucis et auctores *non dare carmen aves* (queror).

ubi ut nostro loco *auctor* est nuntius, Noster, notante Burm. Metam. XI, 666. *non haec tibi nuntiat* auctor *Ambiguus.* et Stat. Theb. IX, 39:

Sed postquam haud dubio clades auctore *reperta est.*

cf. Drakenb. ad. Liv. V, 1. — Cornix cur invisa dicatur Minervae intelligitur e Metam. II, 551 sqq.

v. 37. *humanae vocis imago.* Qui pariles verbis auditis reddens sonos quasi Eccho erat. Ea enim dicitur imago vocis ipsi Ciceroni, Tusc. III, 2. Noster Met. III, 385. in ipsa Ecchus fabula: *alternae deceptus imagine vocis.* Audacius apud Horat. carm. I, XX, 7 sqq. est: *simul et iocosa Redderet laudes tibi Vaticani Montis imago.* et I, XII, 3. *cuius recinet iocosa Nomen imago.*

v. 39. *Fere* accipe eo sensu, quo dici vidimus ad Trist. IV, I, 33. Cum sententia versus compara Virg. Georg. III, 66.

Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit.

Schillerus Noster: Das ist das Loos des Schönen auf der Erde. — *manibus avaris.* Deorum infernorum. Ita apud Virg. Georg. II, 492. est: *Acheron avarus*, et Hor. carm. II, XVIII, 30. *rapax Orcus.*

Tristia Phyllacidae Thersites funera vidit:
 Iamque cinis vivis fratribus Hector erat.
Quid referam timidae pro te pia vota puellae,
 Vota procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux aderat non exhibitura sequentem,
 Et stabat vacua iam tibi Parca colo:
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato,
 Clamavit moriens lingua, Corinna, vale!
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondens,
 Udaque perpetuo gramine terra viret.

---

v. 41. Sic pulcherrimorum et fortissimorum virorum funera superstes et incolumis vidit Thersites, ὅς

— — — αἴσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν.

et Hector fortissimus omnium Priami filiorum occidit, caeteris servatis (ex quibus tamen complures ut Polydorus et Lycaon ante eum Achillis manu perierant). Protesilaum autem nominat, non qui fortissimus omnium Graecorum fuerit, sed quia primus, quum vix adpulissent, cecidit. Erat autem ille Iphicli filius, Phylaci nepos.

v. 44. *rapta Noto.* i. e. irrita. vid. ad Trist. I, II, 17.

v. 46. *Stabat vacua Parca colo.* Significantius, quam si dixisset: vacua tibi erat colus. Solent enim omnino poëtae pro simplici verbo *esse* uti aliis, quibus vividior fiat oratio, maxime vero verbo *stare*. Tib. I, I, 78. *nec in tenero* stat *tibi corde silex.* Hor. carm. I, IX, 1.

Vides ut alta stet *nive candidum Soracte?*

id. ib. XVI, 18. *irae altis urbibus ultimae* stetere *causae cur perirent.* Virg. Aen. I, 46.

Ast ego quae divûm incedo *regina, Iovisque*
Et soror et coniux —— bella gero.

Hor. Epod. XV, 18. *meo nunc superbus* incedis *malo.*

v. 47. *stupuerunt verba*, haeserunt, ut interdum dicitur aqua stupere et similia.

Si qua fides dubiis, volucrum locus ille piorum
 Dicitur, obscaenae quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores,
 Et vivax Phoenix, unica semper avis.
Explicat ipsa suas ales Iunonia pennas,
 Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter nemorali sede receptus,
 Convertit volucres in sua vota pias.

---

v. 52. *obscaenae aves* proprie sunt quae mala faciunt auguria. Virg. Georg. I, 270.

Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti,
Obscaenique canes, *importunaeque volucres*
Signa dabant.

Ita Virg. Aen. XII, 876. *Dirae* quarum unam Iupiter *in omen Iuturnae occurrere iusserat*, dicuntur *obscaenae volucres.* At hic quum opponantur *piis*, i. e. innocuis, significari videntur etiam rapaces.

v. 54. *unica semper avis.* Claud. Laud. Stil. II, 417.

Unicus *extremo Phoenix procedit ab Euro.*

Ferebatur enim *unus in toto orbe* esse. Plin. H. N. X, 2. — *vivax:* longaevus. Plin. l. l. *vivere annis IↃIX.*

v. 55. *Explicat ipsa.* Quo spectet pronomen mihi non liquet. Rectius fortasse Micyll. et Bersm. legunt *Spectat et ipsa.* ut alludat ad ambitionem avis et pulchritudinis ostentationem. Plin. H. N. X, 20. *omnesque reliquas in his pavonum genus (praecedat) cum forma, tum intellectu eius et gloria. Gemmantes laudatus expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant. — omnesque in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos.* Ipse Noster. art. am. I, 627.

Laudatas ostentat avis Iunonia pennas:
Si tacitus spectes, illa recondit opes.

v. 58. *Convertit in sua verba.* Caeterarum avium excitat admirationem, humanas reddens voces.

Ossa tegit tumulus: tumulus pro corpore parvus,
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.
Colligor ex ipso dominae placuisse sepulcro,
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

Amor. II, XI.

Prima malas docuit, mirantibus aequoris undis,
Peliaco pinus vertice caesa vias.

---

v. 61. *Colligor* pro colligitur, me placuisse. Similia vid. apud Ramsh. p. 431.

v. 1. Iter maritimum parante Corinna, ne caecis se undis temeraria credat, suadet poëta. Plurima in mari minari pericula, non subeunda puellis, quibus e virorum narrationibus Pontum nosse sufficiat. Si tamen certum sit proficisci, placidum optat aequor facilesque ventos, et maturum ad se reditum. — Pulcherrimum carmen, quocum compara Prop. I, VIII. et Horat. carm. III, XXVII. coll. eiusd. I. carm. III. — *Prima*. Argo primam Ovidio dici navem vidimus ad Trist. III, IX, 8. atque ita Met. VI, 720.

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
Per mare non motum prima *petiere* carina.

Quod poëtica quadam negligentia fecisse videtur. Non enim tam ignari erant Romani veterum historiarum, ut nescirent Danaum et Cadmum multo ante Argonautas vixisse. Ferebatur adeo Argo ad exemplar illius, qua Danaus venerat, navis exstructa. Tzetz. ad Lycophr. v. 883. — *mirantibus undis*. Ita etiam Catull. LXIV, 14. de eadem navi:

Emersere feri candenti e gurgite vultus,
Aequoreae monstrum Nereides admirantes.

et Naso Met. I, 133.

— — quaeque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinae.

v. 2. *Peliaco vertice*. Haec enim Iasonis patria, atque ibi aedificata est Argo. Diod. Sic. IV, 42. Catull. l. l. v. 1.

Quae concurrentes inter temeraria cautes
  Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
O! utinam, ne quis remo freta longa moveret,
  Argo funestas pressa bibisset aquas!
Ecce! fugit, notumque torum, patriosque Penates;
  Fallacesque vias ire Corinna parat.
Quid tibi, me miserum! Zephyros, Eurosque timebo?
  Et gelidum Borean, egelidumque Notum!
Non illic urbes, non tu mirabere silvas,
  Una est iniusti coerula forma maris.

Peliaco quondam prognatae vertice *pinus*
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus.

v. 3. *concurrentes cautes.* Cyaneae, hinc Συμπληγάδες dictae, vel Συνδρομάδες. vid. Harduin. ad Plin. H. N. IV, 27. (13.) Neque aliter Valer. Fl. I, 630.

Hoccine Cyaneae concurrunt *aequore cautes?*

cf. IV, 562. — Caeterum ne hic quidem Naso vulgatam sequitur narrationem. Appollodorus enim l. I, IX, 22. *αἱ μὲν οὖν,* inquit, *Συμπληγάδες ἔκτοτε ἔστησαν. χρεὼν γὰρ ἦν αὐταῖς νηὸς περαιωθείσης στῆναι παντελῶς.* — v. 6. *pressa.* i. e. mersa. Nost. Metam. XI, 558. *pars magna virorum gurgite* pressa *gravi.* Diverso sensu *pressam carinam* dixerunt Nost. Fast. IV, 300. et Virg. Georg. I, 303.

v. 7. *socios Penates.* Deos coniugales. Nupta enim erat Corinna ut animadvertit Heinsius, quem vide ad Heroid. V, 126.

v. 12. *iniusti maris.* iniqui. Burm. comparavit Prop. I, XV, 12.

Multos illa (Calypso) dies incomtis moesta capillis
Sederat, iniusto *multa locuta* salo.

Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos
Pontus habet: bibuli litoris illa mora est.
Litora marmoreis pedibus signanda puellae:
Hactenus est tutum, caetera caeca via est.
Et vobis alii ventorum proelia narrent,
Quas Scylla infestet, quasve Charybdis aquas.
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis,
Quo lateant Syrtes, quove Malea sinu.

---

v. 13 sq. Imitatus videtur his versibus (notante Burm.) Lucret. III, 374.

Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam pavit aequor arenam.

v. 15. *marmoreis pedibus*, i. e. candidis ut Nemes. Ecl. II, 21. marmoreo pede *Naiades uda littora secantes*. Ita *marmoreus pollex*. Met. XIII, 746. *Marmoreum collum*. Fast. IV, 135. *marmorea cervix*. Virg. Georg. IV, 523. et Horat. carm. I, XIX, 5. *Glycere splendens Pario marmore purius*. Sic idem I, XIII, 2. dixit: *cerea brachia*.

v. 19. *violenta Ceraunia*. metuenda nautis propter procellosum circa ipsa mare, et naufragia frequenter ibi facta; unde et Horat. carm. I, III, 20. dicuntur *infames scopuli*. — v. 20. *Quove Malea sinu*. Ita dedit Heinsius ex uno codice. vulgo: *magna minorque sinu*, quod cur sede sua sit pulsum, non assequor. Fidem facere scripturae suae conatus Heinsius laudavit eleg. h. L XVI, v. 24. Prop. III, XVII, 7. Virg. Aen. V, 193. et notum sane ut procellosum erat promentorium vel ex Odyss. IV, 514 sqq.

ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε Μαλειάων ὄρος αἰπὺ
ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα
πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρεν μεγάλα στενάχοντα.

et IX, 80.

ἀλλά με κῦμα, ῥόος τε, περιγνάμπτοντα Μάλειαν,
καὶ Βορέης ἀπέωσε, παρέπλαγξεν δὲ Κυθήρων.

cf. III, 286 sqq. Sed nihil tamen est in vulgata quod reprehendi possit, et quamquam saepius ita duobus nominibus unum ita tri-

Hoc alii referent: at vos quod quisque loquetur,
Credite: credenti nulla procella nocet.

---

buatur verbum, ut alteri tantum nomini proprie eius notio, alteri universalis quaedam, quae ei inest, conveniat, tamen *latere*, quod de promontorio dici Burmanno etiam displicuit, parum eleganter ita poni putaverim. De Syrtibus vid. Sallust. Iug. LXXX.

v. 21. *quod quisque loquetur*. Heinsius e duobus codicibus *loquentur*, quod ut firmaret, longam exemplorum adiecit seriem. Scio saepissime hoc fieri non solum in hoc pronomine, sed in pluribus; cuius generis sunt: *alius*, *uterque*, *neuter*, *quisquam*. *Uterque* et *neuter*, quia collectiva sunt; *quisquam*, quia etiam de pluribus interdum usurpatur. vid. Bentl. ad Terent. Eun. prol. v. 1. Cui quidem similis est Graecorum in pronomine τὶς usus, Xenoph. Anab. IV, III, 6. *ἐπί τε τῆς κεφαλῆς τὰ ὅπλα εἴ τις φέροι, γυμνοὶ ἐγίγνοντο πρὸς τὰ τοξεύματα καὶ τἄλλα βέλη*. Id. Memor. Socr. I, II, 62. *Κατὰ γὰρ τοὺς νόμους ἐάν τις φανερὸς γένηται κλέπτων ἢ λωποδυτῶν — τούτοις θάνατός ἐστιν ἡ ζημία*. cf. Matth. Gr. Gr. §. 487. 1. 4. — At multo diversi generis sunt pronomina *alius*, *quisque* etc. quibus est vis distributiva, ita ut non multos simul complectantur, sed singulos per se sumant. Propterea, quantum ego intelligo, fieri non potest, ut iis ipsis addatur verbum plurali numero; et quotquot attulere Heinsius (nostro loco) et Drakenb. ad Liv. VII, 19. alias alii, locos, aliter explicari debent. In omnibus enim duarum sententiarum coniunctio facta et *quisque* explicationis fere causa appositum est, quod ut omittas, integram tamen habebis sententiam. v. c. in primo quem laudat Heinsius loco Amor. III, II, 18.

Vincamus dominae quisque favore suae.

ordo vulgaris esset: vincamus favore dominae, suae quisque. (in sing. num. qui offendit coniungat: vincamus favore, suae quisque dominae.) Nunquam autem dicturus fuisset Naso, vel quisquam Romanorum, *quisque vincamus*. Quare nunquam etiam fit, ut in huiusmodi sententiis nudum ponatur *quisque*, sed habet adiunctum aliquid, quo referatur; plerumque pronomen reflexivum, vel superlativum. quod ubi non fit, praecedit verbum, et id quidem

Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
  Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus qua ventos horret iniquos,
  Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid, si concussas Triton exasperat undas?
  Quam tibi nunc toto est nullus in ore color!
Tum generosa voces foecundae sidera Ledae,
  Et, Felix, dicas, quam sua terra tenet.

---

referendum ad aliquem pluralem. fit autem hoc saepius apud Graecos, quam apud Romanos. Odyss. XI, 541 sq.

Αἱ δ᾽ ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων
ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε᾽ ἑκάστη.

Xenoph. Anab. VI, VI, 12. *τῆς δὲ Ἑλλάδος Λακεδαιμόνιοι προεστήκασιν. ἱκανοὶ δέ εἰσι καὶ εἷς ἕκαστος Λακεδαιμονίων ἐν ταῖς πόλεσιν ὅ,τι βούλονται διαπράττεσθαι.* — Hinc manifestum puto esse, nostro in loco plurali locum negari, et quoniam soloeca videbatur oratio, singularem verbi numerum restitui.

v. 25. *qua ventos horret.* Qua ex coniectura dedit Heinsius, non puto, ut referatur ad carinam, sed ad salum. alii: *iam*, *quia*, *quoque*. — *horrere* eleganter pro metuere. — v. 28. *Quam tibi nunc.* al. *Quam tibi sit*, vel *Qui tibi nunc.* —

v. 29. *sidera Ledae.* Nautarum Castor et Pollux. Senec. Quaest. Nat. I, 1. *In magna tempestate apparent quasi stellae velo insidentes: adiuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis et Castoris numine.* De iisdem Plin. II, XXXVII. *Graves cum solitariae venere, mergentesque navigia, et si in carinae ima deciderint, exurentes; geminae autem salutares et prosperi cursus praenunciae, quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob id Polluci et Castori id numen adsignant, eosque in mari deos invocant.*

v. 30. *Quam sua terra tenet.* „Sua terra potest de patria capi [cf. Odyss. I, 41. IX, 29. Horat. carm. I, 1, 17]; sed magis placet intelligere de tellure, quae hominum mater credita, unde pro-

Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
  Threiciam digitis increpuisse lyram.
At si vana ferunt volucres mea dicta procellae,
  Aequa tamen puppi sit Galatea tuae.
Vestrum crimen erit talis iactura puellae,
  Nereïdesque deae, Nereïdumque pater.
Vade memor nostri, vento reditura secundo,
  Impleat illa tuos fortior aura sinus.
Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus:
  Huc venti spirent: huc agat aestus aquas.
Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea soli:
  Ipsa tua moveas turgida vela manu.
Primus ego adspiciam notam de litore pinum;
  Et dicam, Nostros advehit ista deos.

---

ducti, et in qua educati homines. *Sua* ergo est hominibus propria, conveniens magis, quam mare. Senec. Medea 301.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas *post terga videns*
Animam levibus credidit auris.

in quo choro plura his Ovidianis plane similia. Infra Noster III. Eleg. II, 48.

Nil mihi cum pelago, me mea terra *capit.*

Burmann." — Poterit hinc fortasse defendi *solita humus.* Trist. I, II, 54. atque ita fere Heynius Virg. IX, 214.

v. 32. *increpuisse lyram.* vid. Mitscherl. ad Hor. carm. IV, XV, 2. — v. 33. *ferunt.* vid. ad Trist. I, II, 18 — v. 34. *Galatea,* de qua vid. Metam. XIII, 738. hic pro quovis numine marino nominatur. — v. 37. *Vade memor nostri.* Hor. in carm. a. l. v. 13 sq.

Sis licet felix ubicunque mavis,
Et memor nostri Galatea vivas.

Excipiamque humeris, et multa sine ordine carpam
Oscula, pro reditu victima vota cadet.
Inque tori formam molles sternentur arenae:
Et tumulus mensae quilibet instar erit.
Illic apposito narrabis multa Lyaeo,
Paene sit ut mediis obruta navis aquis.
Dumque ad me properas, nec iniquae tempora noctis,
Nec te praecipites extimuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit:
Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Haec mihi quam primum coelo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

---

v. 48. *mensae instar.* Hunc locum et similes non norant, qui *instar* non nisi respectu magnitudinis dici praeceperunt. cf. Trist. III, IV, 67. Hor. carm. IV, V, 6. — v. 56. *admisso equo.* vid. ad Heroid. I, 36.

Amor. III, IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillen,
  Et tangunt magnas tristia fata deas;
Flebilis indignos Elegeïa solve capillos,
  Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
  Ardet in exstructo corpus inane rogo.

---

v. 1. Carmine hoc praestantissimo praematuram luget Tibulli mortem, quo flebili casu Dii etiam, nimirum Venus eiusque filius, praecipue vero Elegeïa, graviter tangantur. Dolet igitur nihil esse tam sanctum, cui mortis atrocitas parcat. Sic Orpheum, sic occidisse Homerum, ex quibus nihil supersit, nisi nomina, carminibus immortalia. Sed quamquam triste adeo et indignum sit periisse Tibullum; ut putare sollicitetur, nullos esse deos, melius tamen esse eum Romae supremum obiisse diem, quam olim in Phaeacia (vid. Tib. I, III.). Nunc enim ei contigisse, quae in illa elegia optasset. (v. 5–9. ap. Nost. v. 49–58.) Deinde felicissima ei in Elysiis campis auguratur tempora. — *Memnona*, Aurorae filium, omnium qui Troïanis opem ferrent pulcherrimum, (vid. Odyss. XI, 521.) Achilles interfecit. —

v. 3. Non minor, o Elegeïa, tuus esse debet luctus, absumto, qui tuus erat, Tibullo. — *solve capillos.* vid. ad. II, VI, 5. — *indignos.* scil. qui solvantur. Ita Trist. I, III, 18. erant indignae genae, sc. lacrimis.

v. 4. *ex vero tibi nomen erit.* Quia ἔλεγος significat lugubre carmen, nomen factum ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν, ut vult Schol. Aristoph. Av. v. 218. cf. Hor. Art. poët. v. 75.

v. 5. *tui vates operis.* Sacrorum tuorum antistes interpretatur Burmannus. Sed quamquam *vates* de sacerdotibus, et *opus* et *operari* proprie dicatur de sacris, non tamen eo respexit hic Naso. Neque ita accipiendum, ut saepius de poësi et carminibus

Ecce! puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, et sine luce facem.
Adspice demissis ut eat miserabilis alis,
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Aeneae sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher Iule, tuis.
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quam iuveni rupit cum ferus inguen aper.

---

dicitur opus. (Heroid. XV, 14. Amor. I, XV, 2. infra v. 29.) Sed nostro loco *opus est* argumentum ut Fast. III, 723 sqq.

Ecce! libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra
Dicere; sed non est carminis huius opus.
Carminis huius opus, *causas expromere* etc.

Trist. II, 328.

Illud erat magnae fertilitatis opus.

Ponitur igitur eodem sensu quo Amor. III, I, 16. est:

O argumenti *lente poëta tui!*

v. 7. Cupidinem dicit morte Tibulli graviter adflictum arma sua abdicasse, quippe quibus nulla eo absumto vis. Similis locus est Remed. am. v. 139.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemtaeque iacent et sine luce faces.

v. 14. *Egressum tectis.* al. *castris*, ut intelligatur *Castrum Laurens.* vid. Broukh. ad Tib. II, V, 51.

v. 15. Nec minor est Veneris dolor in obitu Tibulli, quam fuit olim quum Adonis saevo apri dente periisset. — *confundi* dicuntur, quorum animi dolore, metu, terrore perturbantur. Fast. VI, 581. *plebem* confusam *placidi morte ducis.* cf. Trist. III, V, 11. Pont. I, III, 3. In codd. quibusdam erat *concussa*, quod gravioris adfectionis verbum esse monuit Burmannus. cf. Boriz. et Drakenb. ad Liv. [illegible]

At sacri vates, et divum cura vocamur;
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Aelinon in silvis idem pater, Aelinon altis
Dicitur invita concinuisse lyra.

v. 20. *obscuras manus.* „Heinsius coniecerat olim, *obscoenas;* si addicerent MSS. laudarem. Sed postea cum Mario nigras explicandas censuit, et recte: nam omnia inferis et morti adscripta nigra dicuntur, ut mox vers. 27. *Niger Avernus.* Sic Stat. IV. Theb. 495. *Velleris obscuri pecudes.* et VIII, 339.

Nigrantes terra pecudes obscuraque mergit
Armenta.

Sic ad imitationem Catulli Noster *obscuram ferruginem* dixit V. Metam. 404. et XI, 48. *obscura carbasa pullo,* et *obscurae fores* Ibid. 78. Claudian II. Eutr. 230.

Turpis et infernis tenebris obscurior ales."
Burm.

v. 21. *Quid pater* etc. Quid profuit Orpheo Apollinem habuisse patrem, matrem Calliopen? — Eodem patre Linus etiam natus ferebatur.

v. 23. *Aelinon.* „Notum θρηνητικὸν apud Graecos tragicos ἐφύμνιον ut Aeschyl. Agam. v. 123. (139 Glasg.) *Αἴλινον, αἴλινον εἰπέ,* et inde Sophocl. in Aiac. v. 635. (616 Herm.) *αἴλινον, αἴλινον,* et cuius etiam originem aliunde, quam a Graecis, repetit barbarus Phryx apud Euripidem in Oreste v. 1397. (1380 Matth.)

αἴλινον, αἴλινον ἀρχὰν θανάτου
βάρβαροι λέγουσιν, αἶ, αἶ (Ἀσιάδι φωνᾷ).

ac ubi λίνον de hymno ac θρήνῳ dici notant Critici et quidem de eiusmodi lugubri cantu in Phoenice ac Cypro iuxta Herodotum in Euterpe cani solito. Eum autem a luctu in obitum Lini anti-

Adiice Maeoniden, a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno;
Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Troiani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid vos sacra iuvant? quid nunc Aegyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?

---

quissimi poëtae ita a Graecis dictum ac inde etiam *Οἴτολινον* lugubre carmen, quo eundem Linum, tum Adonim ipsum celebrabant, tradit Pausanias l. IX. p. 584." Spanh. ad Callim. Apoll. v. 20. p. 60. cf. eund. ad Hymn. in Del. v. 253. Lobeck ad Sophocl. Aiac. p. 314. Heins. ad h. l. — Al. leg. *Et Linon* (bis), male.

v. 25. *ceu fonte perenni.* Non pigebit hic comparasse quae narrat Aelianus Var. Hist. XIII, 22. *Γαλάτων δὲ ὁ ζωγράφος ἔγραψε τὸν μὲν Ὅμηρον αὐτὸν ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους.* — Serio autem sua se Homero debere iactitabat Aeschylus auctore Athenaeo lib. VIII. p. 347. *Αἰσχύλος, ὃς τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγε τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων.*

v. 27. *summa dies.* vid. ad Trist. I, III, 58.

v. 29. Carmina tamen absumto poëta durant: durant Ilias atque Odyssea; sic et durabit vestra, Delia Nemesisque, fama, Tibulli carminibus celebrata.

v. 33. *Sacra* intellige ipsius Isidos, quae dea Romae a Sullae inde temporibus, inprimis a mulieribus, summa superstitione colebatur. cf. Böttiger, Sabina tom. I. p. 252 sq. Respicit autem Ovidius ipsius Tibulli versus qui leguntur lib. I, III, 23 sq.

Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?

v. 34. *Sistra* erant crepitacula aenea ab Aegyptiis olim, ut vide-

Cum rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare deos.
Vive pius; moriere pius. cole sacra; colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis! iacet ecce Tibullus!
Vix manet e tanto parva quod urna capit.

---

tur, in lamentationibus sacris de morte Osiridis adhibita. Romanae autem mulieres, dudum in oblivionem adducto hoc usu, superstitiose magis certis temporibus ea quatiebant. cf. Böttig. l. l. p. 238. — Dicebatur *sistrum*, *σεῖστρον*, *ἀπὸ τοῦ σείειν*. — Forma eius quae fuerit, tradit Appul. Metam. l. II: *nam dextera quidem ferebat aereum crepitaculum, cuius per angustam laminam in modum baltei recurvatam traiectae mediae paucae virgulae crispante brachio tergeminos iactus reddebant argutum sonorem.* cf. Broukh. ad Tib. l. l. Pitture d' Ercolano T. II. tav. 59. (quam dedit Böttig. Sab. tab. VII.) et Bacchini Tolliique hac de re tractatus in Graev. thes. tom. VII.

v. 36. *Sollicitor putare.* moveor, persuadetur mihi. Nostrum: es verleitet mich. Plin. epist. III, 19. *In his me multa* sollicitant, *aliqua, nec minora deterrent.* Nec multum differt quod est Terent. Andr. V, IV, 9. *Sollicitando et pollicitando animos lactare.*

v. 37. *moriere pius.* al. *moriere tamen*; sed prius praestat. Sensus est: quantumvis pius fueris.

v. 39. *Carminibus confide.* Acerba ironia. Amor. III, III, 1. *Esse deos, i, crede.* ubi vid. Heins. Horat. Epist. II, II, 76.

I nunc, et versus tecum meditare canoros.

v. 40. Comparavit Heinsius Metam. XIII, 615.

Iam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

et Prop. II, VII, 51.

— — et tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Tene, sacer vates, flammae rapuere rogales,
  Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
  Urere, quae tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus Erycis quae possidet arces,
  Sunt quoque qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
  Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
  Mater, et in cineres ultima dona tulit.

---

v. 45. *Erycis quae possidet arces.* Venus, a templo quod habuit in Eryce monte prope Drepanum, Erycina vocata. Virg. Aen. V, 759.

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae.

cf. Heyne Exc. II. — Ad. v. 47 sq. cf. Tib. I. I. v. 3.

v. 49. *Hinc:* ita enim factum est, ut. — legeb. olim *his*, quorum utrum praeferendum sit alii videant. Certe Tibullus dixerat: *non hic mihi mater.* — *madidi ocelli* ex Heinsii Burmannique sententia sunt, qui alibi dicuntur *natantes.* ut Consol. ad Liv. v. 93.

Lumina caerulea iam iamque natantia morte.

Virg. Aen. V, 856. *cunctantique* natantia *lumina solvit.* Georg. IV, 496.

Fata vocant, conditque natantia *lumina somnus.*

Sed in eo certe falluntur. Metaphora enim non ab humore, quo pleni sunt oculi, ducta est, sed quoniam moribundis et obdormientibus neque certi quidquam, neque stabile videtur; quemadmodum nos etiam dicere solemus: *es schwimmt mir vor den Augen.* Quod ut comprobem non duobus amplius locis opus est. Metam. V, 71.

Iam moriens, oculis sub nocte *natantibus* atra.

ib. XII, 137. *Ante oculosque natant tenebrae.* Hinc de ebriis etiam in usu est: Fast. VI, 673.

Nox erat, et vinis oculique animique natabant.

Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque, priorque
Oscula, nec solos destituere rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, Quid ais? tibi sint mea damna dolori,
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen a nobis aliquid, nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias hedera iuvenilia cinctus

---

qui locus vel solus ad confutandum Heinsium sufficit. Quid sint *madentes oculi* vid. Heroid. XVI, 190. — Quare de scriptura dubito. olim legebatur: *manibus.* — v. 51. *in partem venit:* consors, particeps est facta.

v. 53. *Cumque tuis.* „Marius subintelligi *osculis* vult. Sed Barthius rectius cognatis et agnatis, ne Tibullum etiam osculantem post mortem faciat. Cic. IV. ad Fam. 7. *A tuis reliquis non adhibemur*, et Noster Epist. I, 41. *Nimium oblite tuorum.* ita passim *mei*, *tui*, *sui*, dicuntur." Burmannus. Ea quidem de re nulla est controversia, sed an latine dicatur *iungere alicui oscula*, vehementer dubito; *iunguntur* enim oscula osculis, non hominibus. Quare dici oportuit: Cum tuorum osculis sua iunxerunt etc. — *priorque:* Delia. — v. 54. *solos rogos*, quum omnes iam discessissent.

v. 57. Ovanti Deliae, se prius, et dum viveret esse amatam, respondet Nemesis: Ne gloriare; dolori potius tibi sit, sortem meam, quamquam tristissimam, dulcem tamen esse propterea, quod ad finem usque vitae, me sibi carissimam esse, professus sit. — Caeterum non placet Heinsii scriptura: *Quid ais?* et mallem cum autt. edd. legere: Quid? ait, etc.

v. 61. *iuvenilia tempora.* Obiit enim circiter XXX annos na-

Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque, si falsum temerati crimen amici,
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis umbra est,
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.

---

tus. — *Calvum* intellige C. Licinium, quem C. Licinii Macri fuisse filium aiunt. *Epigrammata* eius commemorat Suet. Iul. Caes. c. LXXIII. *epithalamium* Priscianus, V, 8. p. 196. Krehl. *amatoria carmina* Prop. II, XXV, 89.

Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cum caneret miserae funera Quinctiliae.

quare et hoc loco et lib. II, XIX, 40. una cum Catullo eius fit mentio.

v. 63. Cn. Cornelius Gallus, cui quondam amico Augustus teste Suetonio Aug. LXVI. *ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo et accusatorum denunciationibus et Senatusconsultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium; caeterum et illacrimavit, et vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis quatenus vellet irasci.* Insimulatus est enim Gallus contra Caesarem coniurare voluisse. vid. Serv. ad Virg. Ecl. X. quae eius nomine inscribitur. Ovidius tamen per ebrietatem eum intempestiva quaedam locutum tradit Trist. II, 445.

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Post haec dubitet, cuicunque libuerit, cum Burmanno an idem hic sit ille Gallus cuius toties Propertius meminit. cf. Broukh. ad II, XXV, 91. — Iam vero etiam intelligitur, quis sit *temeratus* ille *amicus*. — v. 64. *animae prodigum* dixit ut Horat. carm. I, XII, 37. Aemilium Paullum. Tota autem sententia haec est: Ibi occurret etiam tibi Galli umbra, nisi vera sunt crimina, quorum accusatus est, tum enim negabitur ei beata Elysii sedes.

v. 66. *Auxisti numeros pios* pro: numerum piorum.

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
 Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Amor. III, XIII.

Cum mihi pomiferis coniux foret orta Faliscis,
 Moenia contigimus victa, Camille, tibi.
Casta sacerdotes Iunoni festa parabant,
 Per celebres ludos, indigenamque bovem.
Grande morae pretium ritus cognoscere: quamvis
 Difficilis clivis huc via praebet iter.

---

v. 1. Narrat poëta sibi iter in Faliscos facienti contigisse ut festo in Iunonis honorem celebrando interesset. Quare, qui fuerint illius populi ritus, hoc carmine exponit. *Falisci* populus erant Etruriae, qui ab Haleso, (*Φάλησος*) Argivo, (vid. ad v. 32.) nomen traxisse putabantur. — *pomiferi* dicuntur a frequentibus apud eos pomariis; quibus ut omnis Italia haec cum Tibure regio abundasse videtur. cf. Bentl. ad Horat. carm. I, VII, 14. qui attulit locum Varronis de re rust. I, 2. *Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur?*

v. 2. *Moenia victa Camillo* dicit Veios, in via sibi Falerios petenti sitos. Expugnaverat hanc Camillus a. u. CCCLIX.

v. 3. *Iunoni festa parabant.* Iunonem intelligendam suspicor eam, quae *Feronia* dicebatur. vid. Forc. s. h. v. Huius enim deae Veios inter et Falerios prope Soracte montem celeberrimus erat lucus. Plin. H. N. III, 7. Drakenb. ad Liv. I, 30. — *casta*, quia et albis vestibus in Iunonis festis utebantur et non nisi albas boves immolabant.

v. 5. *Grande morae pretium.* Versum Heroid. VI, 76.

Grande morae pretium; tuta futura via est.

laudavit Heinsius; sed neque ita ibi est, neque quo loco legatur invenire potui. ita tamen dicimus curae, *operae pretium esse.* — v. 6. *difficilis clivis.* quia fanum illud in acclivo Soractis erat positum.

Stat vetus et densa praenubilus arbore lucus,
Adspice, concedes numen inesse loco.

---

v. 7. *vetus lucus.* Lucorum tam apud Romanos quam apud Graecos sanctissima erat religio, et quam ad antiquissima tempora pertinere non solum ab Homero (Odyss. VI, 321. IX, 200.) accepimus, sed docent etiam vetustiores fabulae, quibus Cadmus hunc Graecis tradidisse morem ferebatur. Quamquam hanc famam inter eorum commenta referri velim, qui in scribenda historia curiosius quam verius certis quaeque nominibus adsignant, nec Graecis Romanisve quidquam proprium dici patiuntur. At istam ad religionem suo quisque ingenio duce pervenire potuit; nam ut Senecae verbis utar Epist. V, 4. *Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae* fidem numinis facit. cf. Nostr. Amor. III, I, 2. Fast. III, 295. — Luci autem (ἄλση) nonnisi sacrae dicuntur silvae et manu fere satae. Nam priscis quidem temporibus nemora quae sponte et nullo serente provenerant, modo insignes essent densis et proceris arboribus, dabantur diis in perpetuam possessionem (τεμένη) consecratis ibi etiam aris (cf. Sophocl. Trach. v. 745. haec enim est τεμενία φυλλάς.). Postea vero quum auctis opibus prisca simplicitas in divinis quoque rebus luxui cedere coepisset, circa ipsa deorum templa luci serebantur tam sterilibus quam frugiferis arboribus. Nam eos quidem graviter errasse, qui Cyrilli Alexandrini testimonio freti lucos ex ullis nisi sterilibus fuisse arboribus negarent, docent inter alia, quae Antigone apud Sophoclem Oed. Col. v. 16. de Furiarum luco dicit:

> χῶρος δ' ὅδ' ἱερός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων
> δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου.

et qui locus vel unus sufficit. Xenoph. Anab. V, III, 12. ubi de delubro, quod Scillunte Dianae Ephesinae consecravit: *περὶ δὲ αὐτὸν τὸν ναὸν ἄλσος ἡμέρων δένδρων ἐφυτεύθη, ὅσα ἐστὶ τρωκτὰ ὡραῖα.* et scimus lucum Iovis Olympii, qui Altis vocabatur, ex oleis fuisse, e pyris et prunis eum, qui a Callimacho commemoratur Hymn. in Cer. v. 28, pariterque alios. — Integritatem lucorum veteres religiosissime tuebantur, eosque sepe cingere solebant (περιβόλῳ, Synes. Epist. LXXII.) hominesque iis praefe-

Accipit ara preces, votivaque tura piorum,
Ara per antiquas facta sine arte manus.
Hinc ubi praesonuit solemni tibia cantu,
It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveae populo plaudente iuvencae,
Quas aluit campis herba Falisca suis:

---

cerunt, qui omnem arborum curam susciperent. (*ἀλσοκόμοι* Pollucis.) — Atque Atheniensium quidem quam severae fuerint hac de re leges tradit Aelianus Var. Hist. V, 17. *Ὅτι τοσοῦτον ἦν Ἀθηναίοις δεισιδαιμονίας· εἴ τις πρινίδιον ἐξέκοψεν ἐξ Ἡρῴου, ἀπέκτειναν αὐτόν.* Magna tamen Romanorum etiam erat superstitio, qui ne ramos quidem, quum agris satisque obessent, amputare auderent, nisi piacula antea Deo obtulissent. vid. Cat. de re rust. c. 139. cf. Hard. ad Plin. H. N. XVII. ult. Quin eo religionis progressi sunt, ut tangere quoque lucos quosdam nefas putarent. vid. Nostr. Fast. IV, 751. Paus. Arcad. XXXVIII, 5. Eurip. Bacch. v. 10. — *praenubilus*, valde obscurus.

v. 9. 10. In ipso luco ara est, ad quam preces suas et votiva tura ferre solent accolae. — *per antiquas manus*. olim, longo abhinc tempore.

v. 11. 12. *Hinc ubi praesonuit* etc. In aliis cc. est *hic* vel *hac*. Puto cum Heinsio scribendum esse *huc*. — *velatae viae* sunt ornatae sertis et nemorum coma. Virg. Aen. II, 249.

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus *fronde per urbem*.

Noster Trist. IV, II, 3.

Atque velentur *fortasse palatia sertis*.

v. 13. *niveae iuvencae*. Plin. H. N. II, 106. (103.) *In Falisco omnis aqua pota candidos boves facit.* Male autem huc traxit Micyll. Virgilii versum Georg. II, 146. *Hinc albi, Clitumne, greges* etc. quasi Faliscorum sit Clitumnus. Neque per *albos greges* ibi intellige boves, sed oves. — Candidi vero iuvenci quum in sacris essent gratissimi Romam e Faliscis arcessebantur. cf. Fast. I, 84.

Et vituli nondum metuenda fronte minaces,
Et minor ex humili victima porcus hara.
Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo,
Invisa est dominae sola capella Deae.
Illius indicio silvis inventa sub altis,
Dicitur inceptam destituisse fugam.
Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index,
Et pretium auctori vulneris ipsa datur.
Qua ventura Dea est, iuvenes timidaeque puellae
Praeverrunt latas veste iacente vias.

---

v. 19 sq. Obscuram recte dixit fabulam Micyllus; nam neque ad communem deorum fugam, neque ad illud tempus, quo Iovem amantem fugit, pertinere videtur. — al. leg. *detinuisse fugam.*

v. 23. *Qua ventura Dea est.* Qua pompa est incessura, in qua Iunonis simulacrum aut praeferebatur, aut curru vehebatur. cf. Virg. Georg. III, 531 sqq.

v. 24. *Praeverrunt veste iacente vias.* Legebatur olim *Praebuerant;* sed Heinsius paucorum auctoritate dedit: *Praeverrunt.* An tamen perspexerit loci sensum dubitari potest; vix enim coniecturus fuisset: *praesternunt.* Burmannus certe a vero longissime aberat, qui miraretur quomodo *vestibus iacentibus* verrere potuissent vias. Videtur igitur v. d. hoc inter ritus habuisse, ut verrerentur viae, quod est absurdissimum. Mulieres in summis periculis crinibus solutis templa deorum et aras verrere solitas fuisse, (cf. Drakenb. ad Liv. III, 7.) id quidem non ignoro, sed istuc quid moris fuerit, miror. Scilicet prae nimia doctrina veram, quae proxima erat, loci explicationem praeteriit. *vestis iacens* est palla ad terram usque demissa. Noster supra. eleg. h. l. 1. v. 9.

Venit et ingenti violenta Tragoedia passu:
Fronte comae torva, palla iacebat humi.

eleg. II, 25.

Sed nimium demissa iacent *tibi pallia terrae.*

Art. am. 1, 153.

Pallia si terrae nimium demissa iacebunt
Collige, et immunda sedulus effer humo.

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla superba pedes.
More patrum sanctae velatae vestibus albis,
Tradita supposito vertice sacra ferunt.
Ore favent populi tunc, cum venit aurea pompa,
Ipsa sacerdotes subsequiturque suas.

Intellige igitur iuvenum et puellarum turbam, pompam praecedentium et demissa in die festo longius veste vias verrentium. — Colligitur autem ex hoc loco, paullo confidentius Böttigerum Sabin. II. p. 142. praecepisse: „Nur *schleppen* durfte er (der Mantel) nicht. Denn nur in dem einzigen Mittelpunkte der Repräsentation, auf dem Theater, wurden Schleppkleider den Helden und Citharöden im Alterthum zugestanden."

v. 25. *Virginei crines.* Quum Graeco omnia more fieri plus semel poëta affirmet, eo hoc etiam spectare suspicor. Apud Graecos enim mos erat virginibus plurimum auri gestare. Iliad. II, 872.

Ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πόλεμόνδ' ἴεν ἠΰτε κούρη.

Aristoph. Av. 671.

Ὅσον δ' ἔχει τὸν χρυσὸν ὥσπερ παρθένος.

et a Lycophronide apud Athenaeum l. XIII, p. 564. dicuntur *παρθένοι χρυσοφόροι.* Haec depromsi ex adnot. Porsoni ad Eurip. Hec. v. 154. ubi etiam est *παρθένου δειρῇ χρυσοφόρος.* —

v. 28. *Supposito vertice.* Et hoc Graecum morem prodit, et apparet hinc, non solum apud Athenienses hoc in usu fuisse, quorum in festis Minervae celebrandis virgines nobiles, Canephoroe dictae, sacra capitibus imposita portabant. vid. Paus. Att. XXVII. Stuarts Antiq. of Athens. tom. II. p. 17. Romani tamen id moris non fuisse, intelligitur ex Cicer. Verr. IV, 3. *Erant aenea praeterea duo signa — virginali habitu et vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam* more Atheniensium virginum *reposita in capitibus sustinebant. Canephoroe ipsae vocabantur.*

v. 29. 30. *Ore favent.* silent. vid. ad Tibull. II, II, 2. *populi* sunt homines, ut saepe apud Homerum *λαοί*; nostrum *Leute.* — *Ipsa*: Iunonis simulacrum.

Argiva est pompae facies: Agamemnone caeso
  Et scelus et patrias fugit Halesus opes.
Iamque pererratis profugus terraque, fretoque
  Moenia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos:
  Sint mihi, sint populo semper amica suo.

Amor. I, XV.

Quid mihi, Livor edax, ignavos obiicis annos,
  Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
  Praemia militiae pulverulenta sequi:

---

v. 32, *Halesus.* Agamemnonis hic et filius et auriga dicebatur, qui caeso patre in Italiam profugit. vide tamen Heynii Exc. ad Aen. VII, 732.

v. 1. Exprobraverat nescio quis Ovidio, quod fugiens artes severas inertia et ludendo vitam transigeret. Ei respondet, nobilissimum omnium carmen esse opus, quo solo pariatur immortalitas. Nullam aetatem tacituram esse laudes Homeri et aliorum, quos enumerat, poëtarum, quae cum terrarum orbe peritura sit, et cui cedat etiam militaris et quaecunque alia gloria. Propterea se caetera non curare, certam autem fovere spem, etiamsi vivum mordeat livor (cf. Trist. IV, X, 123.), tamen post mortem parem sibi fore famam.

v. 3. *Non me — sequi.* Nempe id mihi exprobras, me neque stipendiis merendis, neque fori artibus exercendis utilitatis quidquam patriae afferre. Quare praetulerim interrogationis signa.

v. 6. *praemia pulverulenta* dixit, ad significandum laborem militum et fervorem pugnae. Similiter Horat. carm. II, 1, 22.

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos.

Nec me verbosas leges ediscere; nec me
  Ingrato voces prostituisse foro?
Mortale est, quod quaeris opus. Mihi fama perennis
  Quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide;
  Dum rapidas Simoïs in mare volvet aquas.
Vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit:
  Dum cadet incurva falce resecta Ceres.
Battiades toto semper cantabitur orbe;
  Quamvis ingenio non valet, arte valet.

---

v. 5. *verbosas leges ediscere.* Perperam Burmannus eo Ovidium respexisse putat, quod ingenui pueri, teste Cicerone, leges XII tabularum ut carmen necessarium edidicerint. Commemorat hunc Cicero ut prisci temporis morem, iam vero obsoletum. Leg. II, 23. *Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium:* quas iam nemo discit. Neque vero de puerili aetate hic sermo est, nec verbosae recte dicerentur XII. Quare intellige potius studium ICtorum, quod positum est in discendis legibus. — v. 6. *prostituere* vocem foro est consumere in agendis causis.

v. 11. *mustis.* Notavit hoc ut unicum Servius ad Virg. Georg. II, 7. abusive enim dici *musta*, peius etiam ab Ovidio *mustis*, *cum de his nominibus tres tantum casus usurpari consueverint.* cf. Broukh. ad Tib. I, I, 6 (10). Est tamen idem etiam apud Plin. H. N. XIV, 25. (20.) *Liguriae maxime Circumpadanisque mustis crapulae utilitas discernitur hoc modo: pugnacibus mustis crapulae plus inditur, lenibus parcius.* et quod idem dici negat, *vinis*, legitur apud Nostr. Fast. VI, 673.

Nox erat et vinis *oculique animique natabant.*

Art. am. I, 244.

Et Venus in vinis, *ignis in igne fuit.*

v. 13. *Battiades* dicitur Callimachus, quia Cyrene natus erat, quae urbs a Batto condita ferebatur. cf. Strab. XVII, p. 1194. Alii

Nulla Sophocleo veniet iactura cothurno,
Cum sole et luna semper Aratus erit.
Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.
Ennius arte carens, animosique Accius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quae nesciat aetas,
Aureaque Aesonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, et fruges, Aeneïaque arma legentur,
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

---

eum ex posteris Batti vel serioris Batti filium fuisse statuunt. cf. Spanh. ad Call. Apoll. v. 65. Ego quum Silius Pun. II, 61 et III 253 Cyrenaicos vocaverit Battiadas, cur aliam hic ineamus explicandi rationem nescio.

v. 19. *Ennius arte carens.* Stat. Silv. II, VII, 75. *Musa rudis ferocis Enni.* — *animosi Accius oris.* Animosus dicitur vetus poëta tragicus eo sensu, quo ipsa Tragoedia *violenta* III, I, 11. Huc spectat etiam, quod Trist. II, 359. dicit, non arguere scribendi rationem ipsius Accii atrocitatem.

v. 23. *Sublimis* dicitur Lucretius propter sententiarum gravitatem et generosum, quem totum carmen spirat, animum. Stat. l. l. v. 76. *docti* furor arduus *Lucreti.* et eadem de causa a Quinctiliano Inst. X, 1. *difficilis* dicitur. — v. 24. *una dies.* Probabile est respexisse Ovidium ipsius Lucretii versus. V, 93. *Principio maria ac terras, coelumque tuere, Horum naturam triplicem* — Exitio dabit una dies.

v. 30. *sua Lycoris.* Hunc locum adde iis, quae adnotavi ad Trist. I, IX, 60. ubi si quis neget in altero Nepotis loco ferri

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
  Depereant aevo, carmina morte carent.
Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
  Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus, mihi flavus Apollo
  Pocula Castaliae plena ministret aquae.
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum,
  Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
  Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
  Vivam, parsque mei multa superstes erit,

---

posse pron. refl., substituàm alium ex eodem scriptore, Lysand. c. 1. *Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum.* Tacit. Ann. VI, 6. *Adeo facinora atque flagitia* sua *ipsi quoque in perniciem verterant.*

v. 33. Ergo nec regia potestas, nec militaris gloria, nec largissima divitiarum copia tanti faciendae sunt, quanti poëtica laus. — v. 34. *Tagus* teste Plinio H. N. IV, 35. (22.) *auriferis arenis celebrabatur.* — *beata ripa* est dives, ut persaepe.

SELECTAE
ALBII TIBULLI
ELEGIAE.

Albii Tibulli

Lib. I. Eleg. I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
  Et teneat culti iugera multa soli,

v. 1. Invitatus a M. Valerio Messala Corvino, cuius e deliciis erat, ut ad bellum proficiscentem contra Antonium, eum Octaviano de summa imperii (a. U. IↃCCXXIII.) dimicaturum, se sequeretur, Tibullus, modeste invitationem recusans, pauperem et otiosam vitam laudibus extollit. Se neque opulentissima conditione, neque honoribus pellici posse, ut rusculum suum et Deliam, dulcissimam sibi amicam, deserat. Recte tamen suspicatur Vossius, praetexuisse his Tibullum belli civilis et ipsius fortasse Octaviani odium. Nam et antea Tibullus in extremis partibus stipendia meruerat (cf. v. 25.) et postea cum Messala contra Aquitanos profectus est. — Caeterum idem honestae paupertatis studium plus semel professus est Horatius, ut carm. II, XVI, 13 sqq. III, 1. in fin. III, XVI, 29 sqq. Sat. II, VI. cf. etiam Virg. Georg. II, 458 sqq. — *Divitias congerat auro.* i. e. paret sibi congerendo auro; scil. praeda ex hostibus facta, ut docent vv. sqq. v. 49-52. et eleg. II, v. 67.

Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi.

v. 2. *iugera multa.* Ita etiam II, III, 41.

Ut multo innumeram iugere pascat ovem.

et III, III, 5.

Aut ut multa mei renovarent iugera tauri.

al. *iugera magna* pro quo stat plurimorum codd. auctoritas, et quod firmari putant Theocr. XXIV, 106. μεγάλαις ἀρούραις. Hor. Sat. I, VI, 4. *magnis legionibus* etc. Sed iugera nunquam dici pro agris monuit Wunderlichius, quocum cf. Huschkium. — *tenere* ut saepe hic etiam est: possidere.

Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti,

---

v. 3. *labor terreat.* Assiduo ille exerceatur labore, territus simul vicinitate hostium. Quare noli argutari in coniunctione harum vocum. An huc pertineat locus Sophocl. Philoct. 846. *πόνος ὁ μὴ φοβῶν ἄριστος*, haud dixerim; sed quem Bachius comparavit Sil. IV, 423. *extremus terret labor*, plane est alienus; ibi enim Iovis terretur i. e. perturbatur animus summis in quibus Scipio laborat periculis. — Tibullus autem militibus inter vicinorum hostium minas belli labores sc. aggere exstruendo, fossis ducendis etc. sustinendos esse dicit. Hinc Horat. Sat. I, I, 5. (miles) *multo iam fractus membra labore.*

v. 4. *Classica pulsa* insolentius dicuntur, quum proprie dicantur *cani, flari, inflari.* Classicum enim usurpatur tam de sono, quam de ipsa tuba. Sed illustrat hanc dicendi rationem locus Plutarchi Symposiac. II, 4. tom. VIII. p. 528. Reisk. quem laudavit Huschkius: *ἐπεικῶς γὰρ ἀπολαύειν τὰ νεώτερα πράγματα χρημάτων ἐν τοῖς παλαιοτέροις ὀνομάτων, ὥς που καὶ τὸν αὐλὸν ἁρμόσασθαι λέγουσι, καὶ κρούματα αὐλήματα καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς λύρας λαμβάνοντες τὰς προσηγορίας.* Atque ita Aristoph. Av. 682. dixit *κρέκειν αὐλόν.* Claud. XVII, 312. *cui tibia flatu, cui plectro pulsanda chelys.* — Caeterum Vossius cum Broukhusio (qui praeeunte Scaligero hoc distichon post v. 44. collocavit) accipit haec de cantu buccinae, ad quem singulae vigiliae nocturnae ordinatae sint. Mihi magis arridet Heynii ratio, qui repentinum hostium incursum innui putat; eodem modo Mitscherlichius interpretatus est Horat. Epod. II, 5.

Neque excitatur classico miles truci.

v. 5. *vitae traducat inerti.* Omnes haec ita acceperunt ut dictum sit pro: traducat ad vitam inertem, et comparavit Huschkius Terent. Prol. Phorm. v. 2. *transdere hominem in otium.* Ovid. Metam. XV, 482. *gentem pacis traduxit ad artes.* quibus plura eiusdem generis addi poterant. Sed fateor mihi non perspici, quo pacto dicatur *paupertas* traducere poetam ad vitam inertem, i. causa esse, ut vitam inertem agat. etiamsi, quod vix concedam,

Dum meus exiguo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos

---

paupertas cum Wunderlichio pro studio paupertatis capiatur. Requiro enim talem potius sententiam: Ego praefero paupertatem, modo vitam iners et otiosus transigam; vel: mihi liceat pauperi vitam in otio traducere. Ita enim Cic. Tusc. III, 11. *si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque* traducere. Hor. Epist. I, XVIII, 97.

Qua ratione queas traducere *leniter* aevum.

in quibus an aliqua sit spes rectius h. l. explicandi, videant eruditiores. — *vita iners* est otiosa, vacua laboribus et curis.

v. 6. *exiguo igne.* Hanc lectionem praetulerunt Heynius et Vossius, quia scil. eo paupertatis notio melius declararetur, et *assiduus ignis* (ut alii legunt) luxuriosam vitam notare videretur. Adsentiunt Wunderlichius et Eichstadius. At mihi recte Broukhusius et Huschkius alteram scripturam defendisse videntur; optat enim poëta, ut *perennis* sit domus suae felicitas. vid. quae adnotavi ad Ovid. Trist I, III, 43. quibus nunc addam ex adnotatione Huschkii Aeschyl. Choëph. v. 625. ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων. — Caetera vide apud Bronkh. et Huschkium.

v. 8. *facili manu.* habili et artifici. v. Burm. ad Ovid. art. am. I, 160.

v. 9. *Nec Spes destituat.* Spem intelligendam esse ipsam Deam recte monuit Broukhusius. Erat autem haec dea Romanae originis, cui A. Atilius Calatinus, qui a. U. IoIV. primus dictator exercitum extra Italiam duxit (vid. Liv. Epit. I. XIX.), primam aedem exstruxit. cf. Cic. Leg. II, 11. Habuit templum extra portam Carmentalem in foro olitorio, (cf. Donat. de urb. Roma I, 9.) quod an diversum sit ab eo, quod commemoratur Liv. XL, 51. ambigo. — *destituere* omisso pronomine, quod suppleri debet. Simillimus locus est Livii I, 41. *simul, quae curando vulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedulo comparat* (Tanaquil): *simul, si destituat spes, alia praesidia molitur.* Lucan. V, 298.

Praebeat, et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis;
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,

Sic eat, o Superi, quando pietasque fidesque
Destituunt, *moresque malos sperare relictum est.*

et eadem ratione Ovidius dixit Metam. XV, 418.

Deseret *ante dies, et in alto Phoebus anhelos*
Aequore tinget equos, quam consequar omnia dictis.

Terent. Adelph. III, IV, 12. *In te spes omnis* — *si* deseris *tu, periimus.*

v. 10. *pinguia musta* sunt crassi liquoris, quae calcantur, quum ad summam uvae maturitatem pervenere. Optat igitur simul larga et bona vina, quod miror non displicuisse iis, qui in assiduo foci igne offenderunt.

v. 11. *Nam veneror.* Ne tibi abrupta haec videantur (ut visa sunt non paucis, qui transponerent etiam versus, et fragmenta, non elegiam integram, nos habere suspicarentur) cave cum Vossio distichon antecedens formulam esse putes precantis et optantis, et cum Huschkio *destituat* futuri locum tenere existima, ut dicat Tibullus: Nec me destituturam puto Spem, qui tanta pietate veneror, quidquid est deorum agrestium. — *stipites et lapides* accipe de signis deorum agrestium rudi fabrorum arte factis. Alterum refertur etiam ad lapidem compitalem. — *desertus, in* solis desertisque locis. Propertius (monente Wunderl.) I, XX, 36.

Roscida desertis *poma sub* arboribus.

Moschus III, 21.

Οὐκ ἔτ᾽ ἐρημαίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ᾄδει.

v. 13. *novus educat annus.* Per enallagen dictum pro: Quidquid novi (pomorum) mihi anni tulerunt tempora. Solebant enim primitias frugum diis agrestibus offerre. Calpurn. Ecl. II, 64. *pomiferi Laribus consuevimus horti mittere primitias.* Horat. carm. III, XXIII, 3.

Si ture placaris et horna
Fruge *Lares, avidaque porca.*

Libatum agricolae ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores;

---

ubi vid. Mitscherl. Hinc idem poëta avaritiam sui aevi pungens Sat. II, V, 12 sqq.

— — — dulcia poma,
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem *gustet venerabilior Lare dives.*

v. 14. *agricolam deum* alii alium putant esse. Mihi eorum placet ratio, qui quemcunque agriculturae deum praesidem intelligunt. quae est etiam sententia Heindorfii ad Horat. l. l. — *ponitur ante.* tmesis est pro *anteponitur.* Ita enim Plaut. Menaechm. II, II, 2.

Bonum anteponam *prandium pransoribus.*

et Curc. I, I, 72.

Me inferre Veneri vovi iam ientaculum. —
Quid antepones *Veneri a ientaculo?*
Me, te, atque hosce omnes.

haec enim est vera lectio. Insulsa prorsus altera, *Quid? an te pones.* Eodem fere modo admirationem suam expressit Nicias apud Aristophanem Equit. v. 31.

Νικ. κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν
θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν ποι πρὸς βρέτας.
Δημ. ποῖον βρέτας; θεῶν; ἐτεὸν ἡγεῖ θεούς;

Ita enim ibi legendum puto. — Apte etiam hic comparavit Wunderl. Tib. II, V, 98. *coronatus* stabit *et* ante *calix.* Virg. Georg. III, 552.

Pallida Tisiphone Morbos agit ante *Metumque.*

et quod aliquoties apud Terentium legitur: *i prae.*

v. 15. Non possum accedere ad Wunderlichii sententiam, qui vota haec conditionaliter concepta putat: *Si Spes non destituat, sit tibi.* Quo nihil ab hoc loco alienius esse dicam. Pergit poëta narrare, qua pietate colat deos agrestes. — *corona spicea.* ea enim Ceres donabatur. Hor. Carm. sec. v. 29. 30.

Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea *donet Cererem* corona.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
  Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
  Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
  Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  Clamet: io messes et bona vina date.

---

v. 17. *custos ponatur in hortis.* In hortis ad terrendos fures avesque Priapi ponebantur rudia simulacra. Quae qualia fuerint, ut cognoscas, audi ipsum Deum loquentem apud Horat. Sat. I, VIII, v. 1 sqq.

> *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,*
> *Cum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum,*
> *Maluit esse Deum. Deus inde ego*, furum aviumque
> Maxima formido; *nam fures dextra coërcet;* —
> *Ast importunas volucres in vertice arundo*
> *Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.*

ubi vide Heindorfium. — *ruber*, minio illitus. — Observa autem repetitum subiectum, *ruber custos* — v. 18. *Priapus.* cui comparaverim, quod est apud Horat. carm IV, IV, 2.

> *Cui* rex deorum *regnum in aves vagas*
> *Permisit, expertus fidelem*
> Iupiter *in Ganymede flavo.*

v. 18. *saeva falce*, quam manu gerere solebat.

v. 19. *felicis quondam.* Tibulli patrimonium, olim peramplum vi et latrocinio militum Caesarianorum imminutum esse probabiliter suspicantur, qui de eius vita prodiderunt. vid. Vulp. in Vita Tib. et Broukh. ad IV, I, 182. — *felicem* agrum non esse fertilem et fructuosum, quae vera huius vocis est significatio, sed divitem et magnum, vel inde apparet, quod opponitur: *nunc pauperis.*

v. 20. *Lares.* Laribus, qui tutelam agrorum agerent et rei prospicerent, cum caeteris diis agrestibus in Ambarvalibus sacra fiebant; iisque hostia pro agri modo caedebatur; a ditioribus vi-

Iam modo, iam possum contentus vivere parvo,
Nec semper longae deditus esse viae;
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

---

tulus, a pauperioribus agna, vel saltem quae vilissima erat, porca. cf. Voss. ad Virg. Ecl. I, 8. — Propterea vv. sqq. olim suorum gregum lustrationem factam esse dicit vitula, nunc fieri agna, quae ipsa (pro agelli modo) magna dici possit hostia. — De porcis Laribus immolatis vid. Varr. de re rust. I, 14. — *munera fertis.* vid. ad Ov. Pont. I, V, 30. p. 112.

v. 25. *Iam modo, iam possum.* Est haec Guyeti coniectura recepta a Vossio et Wunderlichio. Vulgata scriptura est: *Iam modo non possum.* In quibusdam codd. est: *Iam modo nunc,* Huschkius coni. *Iam possum, modo non contentus, vivere parvo,* a quo prope abfuerat Cyllenius, distinguens: *Iam, modo non, possum* etc. Ego inter haec nihil me invenire fateor, in quo Tibulli manum agnoscam, sed tamen Guyeti coniectura omnium minime placet. — Caeterum Vossius hinc apparere ait, Tibullum aliquot annos contra hostes externos stipendia meruisse, quo sortem suam levaret. Non prorsus eum recusasse arma supra monui, sed de diuturnitate militiae dubito, nec in nostro loco ullum est indicium. Eodem iure ex Horatii carmine II, VI, 5 sqq.

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae:
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.

probet aliquis, hunc quoque magnam vitae partem inter belli labores et maritima itinera transegisse.

v. 27. *Canis aestivos ortus.* Aestus, qui Caniculae *ortui* tribuebantur. Plin. H. N. II, 47. *Ardentissimo autem aestatis tempore* exoritur Caniculae sidus. *Ortus* igitur dicuntur pro tempore, quo oritur aestum afferens. id quod expressit Horat. carm. III, XIII, 9.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere.

aestivos ictus coniecit Bentl. ad Hor. Serm. I, VI, 126. quod re-

Non tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
Aut stimulo tardos increpuisse boves;
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque, lupique,
Parcite; de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palen.
Adsitis, divi, neu vos de paupere mensa

---

cte improbavit Huschk. cf. Heindorf. — *vitare* effugere, ut et Horatius dixit carm. I, XVII, 17. Homer. Iliad. XVI, 213. *βίας ἀνέμων ἀλεείνων.*

v. 29. Non tamen ita me otio tradam, ut non interdum rusticos labores et agri mei curam subeam.

v. 33. *exiguo pecori*, numero scilicet. Pecus enim gregem significat etiam, ut Ovid. Met. XIII, 824. *Pauperis est numerare pecus.*

v. 35. *pastorem lustrare.* Mense Aprili (d. XXI.) Palilia, Palis deae festum, celebrabantur et pastores transiliendo ardentes stipulae acervos lustrabantur; vid. Ovid. Fast. IV, 727 sqq. — De ipsa dea vid. Voss. ad Virg. Georg. III, 1. — Particulis *que* — *et* duo ad unam rem describendam pertinentia iungi, bene monuit Wunderl. cf. III, 25. V, 64. IX, 69. — v. 36. *spargere lacte Palen.* Intellige eius aram.

v. 37. *Adsitis divi.* Ipsos adesse sacris suis deos et delectari oblatis dapibus, putabant veteres. Loci classici sunt Odyss. I, 22 sqq.

Ἀλλ' ὁ μὲν (Ποσειδῶν) Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας
ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.
Ἔνθ' ὅγε τέρπετο δαιτὶ παρήμενος.

et VII, 201 sqq.

αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι ἔνθαπερ ἡμεῖς.

Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
Si licet, et solito membra referre toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu;
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,

---

v. 38. *e puris fictilibus.* Patellas quibus oblatae sint diis impositae fruges intelligit Heynius. Sed ut concedam tum scribi potuisse *e fictilibus*, quid vetat de vino vel lacte libatis accipere. Virg. Georg. II, 192.

— *laticis qualem* pateris *libamus et auro;*
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus *et pandis fumantia reddimus exta.*

Offeruntur ergo liquores *pateris*, caetera *patellis*. Et intelligendas hic esse pateras, vel inde mihi persuadetur, quod simplicitatem a vetustate commendans in sqq. vv. *poculorum* fictilium, quibus prisci usi sint homines, mentionem subiicit.

v. 40. *de facili luto.* Ad constructionem Wund. comparavit Iuven. Sat. VI, 344.

Et Vaticano fragiles de monte *patellae.*

et Nost. II, I, 59.

Rure puer verno primum de flore *coronam (fecit).*

et ad v. 33. adnotavit hac praepositione significari partem totius sumi, quod comprobant loci, quales sunt Horat. carm. III, XI, 33. *Una de multis.* et Epist. II, II, 212. *spinis de pluribus una.* — *facile lutum*, quod Pers. Sat. III, 23. dixit *udum et molle.* Ovid. Met. XV, 169.,

Utque novis facilis *signatur* cera *figuris*,

quae vera est lectio. Hinc qui cedunt aliis, nec repugnant, dicuntur faciles.

Securum somnos, imbre iuvante, sequi.
Hoc mihi contingat; sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri potius pereatque zmaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer.

---

v. 48. *imbre iuvante.* Comparant Sophoclis versus ex Cicer. Att. II, 7.

— — — κἂν ὑπὸ στέγῃ
πυκνῆς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί.

v. 51. Non tanti est quidquid auri et gemmarum habet orbis. Propert. III, XX, 4.

Tantine ut lacrimes Africa tota fuit?

Ovid. Heroid. I, 4.

Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

Gemmas bello petiisse Romanos e Virg. Georg. II, 505.

Hic petit excidiis urbem miserosque Penates,
Ut gemma bibat (*et Sarrano indormiat ostro*).

probat Wunderlichius. Quae, ut leniori verbo utar, est infelicissima loci interpretatio. Pocula gemmea et purpura quum ditissimae essent conditionis, iis usus est Virgilius ad largissimas divitias significandas, quas ut sibi comparent, non parcere eos aliorum felicitati.

v. 54. *Ut domus praeferat exuvias.* Mos erat hic Romanorum, ut si quis in bello rem praeclare gessisset, spolia ex hostibus capta foribus praefigerentur. cf. Prop. III, IX, 26. Liv. X, 7. Plin. H. N. XXXV, 2. Virg. Aen. VII, 183. — Ergo postquam improbaverat belli studium quod avaritia nitatur, honestiorem ait Messalae belli gerendi esse causam, quem deceat gloriam sibi maioribus dignam sibi parere.

Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam moriens, deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis;
Flebis; non tua sunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores;
Iam veniet tenebris Mors adoperta caput;
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, et rixas inseruisse iuvat.

---

v. 63. *praecordia ferro vincta.* σιδηρόδετα, i. e. ferrea. cf. Ovid. Trist. I, VIII, 41. Hesiod. Theog. 764. de Morte:

Τοῦ δὲ σιδηρέη μὲν κραδίη, χάλκεον δέ οἱ ἦτορ
Νηλεὲς ἐν στήθεσσιν.

v. 67. *Tu Manes ne laede meos.* Ne tamen nimium me ademtum dole. Manes meos dolituros puta, si capillos ruperis, et ungue genas notaveris.

v. 70. *tenebris Mors adoperta caput.* Ut decet Noctis filium, qui Eurip. Alc. 860. M. dicitur *μελάμπεπλος*. Sed hic finge tibi Mortem nigra nube involutam. vid. Huschkium, qui in Analectis p. 691. egregie hunc locum illustravit.

v. 74. *rixas inseruisse.* Wunderl. interpretatur: inchoasse, fecisse et comparat locum Taciti Hist. I, 23. *inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba rumores.* Sed haec nihil probant; inserere enim ibi est, inter alios sermones talia interdum

Hic ego dux milesque bonus; vos signa tubaeque
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris;
Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

Lib. I. Eleg. III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas;
O utinam memores, ipse cohorsque, mei!

---

proferre. Ego *inserere rixas* puto significare: interdum rixari. al. *conseruisse*.

v. 76. *cupidis viris*, divitiarum scilicet.

v. 1. Messalam in Asiam proficiscentem quum sequeretur Tibullus, Corcyrae morbo adfectus remanere cogebatur. Hunc in hoc carmine queritur casum, gravissimum propterea, quod suorum destitutus sit societate et cura. Quare non solum indignatur, quod Roma decesserit, sed omnes detestatur peregrinationes, laudans aurei seculi simplicitatem. Si tamen suprema sibi istic obeunda sit dies, quo titulo sepulcrum inscribatur praecipit, et quae sibi beata in Elysiis campis futura sit vita auguratur, simulque Tartari terrores narrat. Postremo hortatur Deliam, ut sibi fida manere velit, quo, si reditum dii dederint, magno utriusque gaudio recipiatur. cf. eiusdem argumenti elegia Ovidii, Trist. III, III. — *Ibitis* — *Messala*. Plurali numero cur utatur declarant sequentia: *ipse cohorsque*, ut vix quemquam in hoc dicendi genere offensurum putes. Homerus Odyss. XII, 80 sqq.

μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδές,
πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος τετραμμένον· ᾗπερ ἂν ὑμεῖς
νῆα παρὰ γλαφυρὴν ἰθύνετε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.

Audacius Virg. Aen. IX, 525.

Vos, o Calliope, *precor*, *adspirate canenti*.

Vide omnino de numeri enallage Wagnerum ad v. 63. elegiae ad Messalam. — Quae ad historiam pertinent vide apud Heynium in Obss.

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris;
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor; non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,

---

v. 3. *ignotis terris.* vid. p. 49. — v. 4. *Mors atra.* cf. dicta ad I, I, 70. Nescio an huc pertineant Eurip. Alc. 270. ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς ᾍδας, et v. 452. ᾍδας ὁ μελαγχαίτας θεός.

v. 6. *in moestos sinus.* vid. p. 152. *moestum crinem* e Virg. Aen. XI, 35. laudavit Wund.

v. 7. *Assyrios odores.* Unguentis Syriacis et liquoribus odoratis sparsos esse cineres cum Broukh. putat Heynius, rem notam esse adiiciens. Quae si re vera tam nota erat, ut ne testimonio quidem ullo opus esset, erubescam mihi de ea re nihil esse cognitum. Loci enim a Broukhusio laudati, quamquam optime morem illustrant, hac de re tamen nihil monent. In quibus maxime memorabilis est Stat. Silv. V, I, 210 sqq.

— — — *Quis carmine digna*
Exsequias et dona malae feralia pompae
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabaei,
Indorumque arsura seges, praereptaque templis
Tura, Palaestini simul Hebraeique liquores
Coryciaeque comae, Cinyreaque germina.

Verum haec accipienda sunt de liquoribus, quibus corpus arsurum perfundebatur, et de odoribus simul crematis; quod apparet ex altero eiusdem scriptoris loco Silv. II, I, 162. *Arabes, Phariique, Palaestinique liquores* Arsuram *lavere comam.* et v. 159. *Prodiga flammis dona.* Cineres autem collecti miscebantur cum pulvere amomi et floribus foliisque odoratis. vid. Ovid. Trist. III, III, 69. Non nego tamen *Assyrios odores* etiam ad liquores fortasse referri posse, siquidem, ut recte monuit vir summus, Vossius, urnae nardi onyx addebatur. cf. Böttig. Vasen-

Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam est, quae me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
Retulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum iam mandata dedissem,

---

gemälde Hft. 1. p. 66. — *dedat*: det, quod offensae multis erat. *fundat* Broukh. *reddat* Heyn. *condat* Voss.

v. 9. *quam mitteret — ante*. i. e. antequam mitteret.

v. 11. *sortes ter sustulit.* Sortes dicebantur tabellae varie inscriptae, quae *pueri manu miscebantur atque ducebantur.* Cic. Div. II, 41. *tollere* autem sollemne in hac re verbum. Cic. ib. *sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur.* Sed quae deinde leguntur, obscura sunt. Huschkius cum Scaligero coniungit *puer e triviis.* et comparat Cic. Div. I, 58. *de circo Astrologos* et Catull. XXV, 5. *de via mulier* (vid. p. 152.). Parum tamen abest ut in Wunderlichii sententiam abeam, qui „Verba," inquit, „si spectantur, hunc vides sensum, puerum ad omina capienda missum e triviis retulisse certa; quod in tot et tantis superstitionibus Romanorum non est absurdum."

v. 13. *Cuncta dabant reditus.* i. e. spondebant; dare enim est concedere, permittere. Dicit ergo, licuisse per omina et oracula redire. — *tamen est deterrita nunquam.* Neque tamen faustissima omina metum pectore valebant pellere. *deterrere* enim est dehortando avocare. Ex omnibus qui in promtu sunt locis aptissimus est quem Wunderl. laudavit e Cic. ep. ad Brut. IX. *Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio moerore* deterruit. Plura qui desiderat adeat Broukh.

v. 15. *mandata.* quae scil. se absente fieri debeant. cf. Ovid.

Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties, ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,

Trist. I, III, 59. II, 55. III, III, 43. Imitatus videtur Ovidius in priore loco Tibullum.

v. 17. *Saturni diem.* Pertinet hoc etiam ad superstitionem Romanorum, ut Sabbathum si non religiosum tamen infaustum haberent. vid. Hor. Serm. I, IX, 69. Ovid. Rem. 219. Dicit igitur se praetexuisse moram Sabbatho. — Variatam constructionem: *aves — tenuisse*, notavit Wunderl. et aliud attulit exemplum Horat. carm. II, IX, 19.

Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere *vortices.*

atque ita bis praeterea apud eundem est, carm. I, II, 49.

— *Hic magnos potius* triumphos,
Hic ames dici *Pater atque princeps,*

et III, V, 21.

— — *vidi ego civium*
Retorta tergo brachia *libero,*
Portasque *non clausas, et arva*
Marte coli *populata nostro.*

Nec multum dissimile illud dicendi genus, quo ab infinitivo per coniunctionem ad verbum finitum fit transitus. Id. III, 28, 5.

Inclinare *meridiem*
Sentis, ac veluti stet *volucris dies.*

v. 20. *Offensum pedem.* Offendere in limine profecturis vel omnino domo exeuntibus mali erat ominis. Ovid. Amor. I, XII, 3.

Omina sunt aliquid, modo cum discedere vellet;
Ad limen digitos restitit icta Nape.

Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te, memini, et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi — nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis —
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

---

v. 22. *Aut sciat.* Discet suo damno institutum invito Amore iter. *Scire* enim est cognoscere experiundo. Terent. Phorm. II, IV, 3. *ut saltem* sciam, *quid de hac re dicat.* Heaut. II, II, 90. *experiundo scies.* Atque ita frequenter *scibo.* — Ad vv. 23-26. cf. quae dixi p. 169 sq. Repertum est sistrum cum crotalo Pompeiis in templo Isidis. vid. Goro von Agyagfalva Wand. d. Pomp. p. 141.

v. 28. *multa tabella.* Tabulae votivae suspendebantur in templis deorum, quorum ope aut sanatos aut alio quodam periculo servatos se putabant. vid. Mitscherl. ad Hor. I, V, 13. Heindorf. ad Serm. II, I, 33. Ovid. Fast. III, 267. de sacro Egeriae:

Licia dependent longas velantia sepes,
Et posita est meritae multa tabella *deae.*

multa autem *tabella* in utroque loco dicitur, ut apud eundem Fast. IV, 772. *multa agna.* Nost. II, V, 72. *multus lapis.* Rarius est quod ex Hor. Art. poët. 203. notavit Wunderl. *foramine pauco.*

v. 29. 30. *votivas persolvens voces.* Hymnos cantans ex voto. vid. Wunderl. in Obss. *votivas voces*, ut *votiva tabula* Hor. I, V, 14. Serm. II, I, 33. *votiva aedes.* id. carm. II, XVII, 31. *votiva carmina.* Ovid. Art. I, 205. — *ante fores sedeat*, opperiens templi apertionem. — *lino tecta.* Lino amiciebatur non solum

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!

---

ipsa dea, sed etiam sacerdotes eius, et quicunque ei sacra faciebant. Ovid. Met. I, 747. de Io

Nunc dea linigera *colitur celeberrima* turba.

Uberrime rem illustrat Broukh.

v. 31. *resoluta comas*, ut videre est in celebri pictura Herculanensi. *Bis* autem die in honorem Isidis canebantur hymni. — v. 32. *turba Pharia*, Aegyptiaca; Isidis sacerdotes, inter quos splendebit Delia.

v. 33. *patrios celebrare Penates.* De salutatione Penatium post reditum (v. Terent. Phorm. II, I, 81. Cat. r. r. II.) an cogitaverit Tibullus, dubito. Mihi hoc videtur velle: Contingat mihi domum, ad antiquos reverti Penates, quos solito more concelebrem, *menstrua* reddens tura. vid. Mitscherl. ad Hor. carm. III, XXIII, 2. — Tibulli pium sensum laudavit Wund., frigidioris animi notam adspergens Horatio ad Serm. II, V, 4.

Ithacam revehi patriosque Penates adspicere.

Sed ibi, ut recte monuit Heind., respexit Horatius Hom. Odyss. I, 57. *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται.* — v. 34. *reddere*, vox sollemnis in sacris. Hor. carm. II, XVII, 30. *reddere victimas.* IV, VI, 43. *Reddere carmen* (saeculare). Virg. Georg. II, 194.

Lancibus et pandis fumantia reddimus *exta.*

Prop. II, XXI, 60.

Munera Dianae debita redde *choros.*

v. 36. *in longas patefacta vias.* ut longis pateret itineribus. Virg. Aen. VI, 42. *excisum latus rupis in antrum.* et Ovid. Am. II, XVI, 16. *In longas orbem qui secuere vias.* comp. Wund. Scilicet insolentius cum his verbis coniungitur praepositio, cuius tamen eadem est vis, cum dicimus *mutare in nova corpora vertere in pulverem* etc.

Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum;
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant

---

v. 37. *pinus contemserat undas.* Sic et Ovidius Met. I, 134.

Fluctibus ignotis insultavere *carinae.*

atque similiter Horatius carm. I, III, 23. dixit: *impiae non tangenda rates transiliunt vada.*

v. 39. *vagus navita.* Nautae passim pro mercatoribus, qui vagi dicuntur etiam Horatio Art. poët. 117. nimirum, quia nullo loco diu commorantur.

v. 44. *Qui regeret — lapis.* i. e. constitueret, vox rei propria. Similiter Virg. Georg. I, 125.

Ante Iovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat.

v. 45. *Ipsae mella dabant quercus.* Veteres tribuisse hoc aureae aetati, ut ex ipsis foliis quercuum stillasse mella, vel e ligno sudasse affirmarent, docent loci Virg. Ecl. IV, 30.

Et durae quercus sudabunt *roscida mella.*

et Georg. I, 131. *Mellaque decussit foliis.* cf. Ovid. Met. I, 112. et quamquam aliis locis, ut Ovid. Am. III, VIII, 40. Hor. Epod. XVI, 47. mel significari videatur ab apibus, hominibus nequaquam curantibus, congestum, hic tamen priorem rationem sequi praestat propter pronomen *ipsae.* Dicit enim *non apum industria* congestum esse mel, sed in ipsis arboribus largam eius fuisse copiam coelitus demissam. Theophr. fgm. XVIII. *Πίπτει δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἀέρος μέλι καὶ ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ἐπὶ τὰ προςτυ-*

Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Ieve sub domino caedes, nunc vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti multa reperta via.

χόντα τῶν φυτῶν· εὑρίσκεται δὲ μάλιστα ἐπὶ τοῖς φύλλοις τῆς δρυὸς καὶ ἐπὶ τῆς φιλύρας.

v. 46. *securis.* qui neque pecoris curam susciperent, neque mulgendas matres arcesserent. cf. Hor. Epod. XVI, 49.

Illic iniussae *veniunt ad mulctra capellae.*

et Virg. Ecl. IV, 21. — *ubera lactis* sunt lacte distenta.

v. 47. *Non acies, non ira. Acies* est exercitus ad pugnam instructus, ut recte monuit Wund. *ira* furor militum. Locum aptissimum Liv. I, 13. compar. Huschk. *Tum Sabinae mulieres —— extransverso impetu facto, dirimere infestas* acies, *dirimere* iras. — v. 48. *duxerat.* i. e. excuderat. Virg. Aen. VII, 634.

Aut leves ocreas lento ducunt *argento.*

Plin. H. N. VII, 38. *Idem hic imperator* (Alexander) *edixit, ne quis ipsum alius, quam Apelles, pingeret; quam Pyrgoteles sculperet; quam Lysippus* ex aere duceret.

v. 50. *multa reperta via.* Ita dedit Wunderlichius. Broukh. et Voss. *leto.* Sed in plerisque libris est: *mille repente viae.* quod probavit Heynius et iis argumentis defendit Huschkius, quibus vix quidquam addi posse gravius existimem. Ita enim Homerus Il. XII, 326.

νῦν δ' ἔμπης γὰρ Κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι.

et apud Statium IX. Theb. 280. sunt *mille modi leti. Repente* autem eo sensu accipit quo Horatius carm. II, XIII, 19. dixit *improvisam leti vim rapere gentes.* comparans Hes. ἔργ. 100 sqq. et Simonidis carm. Anal. Brunk. tom. I. p. 128.

οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδὲν· ἀλλὰ μυρίαι
βροτοῖσι κῆρες κἀνεπίφραστοι δύαι,
καὶ πήματ' ἐστίν.

Parce, pater; timidum non me periuria terrent,
  Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
  Fac lapis his scriptus stet super ossa notis:
HIC IACET IMMITI CONSUMTUS MORTE TIBULLUS,
  MESSALAM TERRA DUM SEQUITURQUE MARI.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,

Coniunctionem denique verborum *repente viae* defendit loco Theocriti Id. IX, 33. *ἔαρ ἐξαπίνας.* i. e. ex improviso ver ingruens. Sed hoc an verum sit dubito. Est sane hic Graecis mos ut adverbia iungantur substantivis, eumque interdum sibi vindicavere Romani. Quem in modum dixit Terentius: *heri semper lenitas.* Andr. I, II, 4. *nuper notitia.* Heaut. I, I, 1. Plautus: *nunc homines.* Pers. III, I, 57. Virg. Aen. I, 198. *ante mala.* Catull. *olim furores.* c. LXVII, 129. et *olim amicitias.* c. XCIV, 4. Petron. *prius more.* in primo carm. v. 2. Paullo diversa lege Hor. III, XVII, 9. *late tyrannus.* Virg. Aen. I, 11. *late rex.* alia alii. Sed cum in his omnibus exceptis postremis adverbium locum teneat adiectivi, cum quo facile commutari potest, si eandem hic ineamus rationem, habebimus *repentem viam*, quod haud scio an absurdum iure dicatur, siquidem ad letum pertinet repentini et improvisi notio, non ad viam. Quare ita potius explicandum puto hunc locum, ut dicat Tibullus: Nunc, nostra ferrea aetate, quovis tempore mille patent leti viae, mille statim adsunt mortis genera.

v. 51. *Parce, pater.* Iupiter, *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.* cf. Hor. carm. I, II, 2. — Putabant veteres, scelera et impietatem a diis puniri praematura morte. — *timidum* Huschkius interpretatur religiosum, laud. Ovid. Met. V, 100. I, 323. —

v. 53. 54. *si fatales explevimus annos.* vid. ad Ovid. Tr. IV, X. p. 13. Iovi poëtam hoc mandare monuit Wund. comp. Soph. Aiac. v. 823 sqq. — Monumenta veterum sepulcralia, qualia fuerint si plene cognoscere velis, adeas Goro von Agyagfalva's Wanderungen durch Pompeji. p. 39–64. tab. II–VII.

Ipsa Venus campos ducet ad Elysios,
Hic choreae, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves;
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue praelia miscet Amor.
Illic est, cuicunque rapax Mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.

---

v. 58. *Ipsa Venus.* Adeo dilectum se dicit esse Veneri et Amori, ut ipsa dea *ψυχοπόμπου*, qui Mercurius credebatur esse, munus subeat, ac se in campos Elysios ducat. — v. 59. *vigere* non pro simplici ponitur *esse*, sed inest laetitiae notio. Quo iure Wund. comparaverit Graecorum *μέλειν*, non video.

v. 61. *casiam.* Cinnamomum intelligendum esse, non fruticem, quem saepius commemorat Virgilius (ut Georg. II, 213.), inde colligere licet, quod nobilissimis rebus abundare vult hanc sedem. Illa autem casia (Zeiland) vulgaris admodum est, et parvi a Romanis aestimabatur. De cinnamomo multa collegit (utinam digessisset!) Billerb. Florae class. p. 104 sq. — Idem fuerit Romanis cinnamum, quod nobis, an vilius quoddam genus, ad huius loci explicationem parum facit. — *Seges* est ager in quo nascuntur casiae. vid. Virg. Georg. I, 47. Tib. IV, II, 18. *odorata seges* sunt ipsi frutices turiferi.

v. 64. *praelia miscet Amor. Praelia* dicunt esse rixas amantium quarum auctor sit Amor, cum alias praelia miscere dicantur ipsi pugnantes. Mihi neque hoc probatur, neque omnino eas rixas praelia apte vocari existimo, nisi quis strictis unguibus (ut apud Horat. carm. I, VI, 19. et infr. eleg. X, 53.) in iuvenum oculos et capillos involare puellas putet. — Scilicet in Elysio etiam vigent Cupidinis arma, et lucem huic loco affundet Ovid. Amor I, II. inprimis v. 21 sq.

Nil opus est bello; *pacem veniamque rogamus,*
Nec tibi laus: armis victus inermis ero.

At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant;
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusque novem Tityus per iugera terrae

---

v. 67. Hactenus in narrandis beatae sedis deliciis suo indulserat ingenio, nunc Tartarum nobis depingit e vulgatis opinionibus. cf. Virg. Aen. VI, 577 sqq. Ovid. Met. IV, 448 sqq. Odyss. XI, 576-600. — *scelerata sedes*, infausta. Ita *porta* Carmentalis, per quam exiisse ferebantur trecenti Fabii, *scelerata* ab omine est dicta. Ita *sceleratus campus* dicebatur is, in quo Vestales virgines, criminis reae, defodiebantur Liv. VIII, 15. et *sceleratus vicus* a Tulliae Servii scelere. Liv. I, 48. — *iacet in nocte proprofunda*. cf. Virg. Aen. VI. v. 577-579.

v. 69. *impexa angues*. quasi dixisset capillos impexa, quia pro crinibus viperae caput cingebant. — v. 70. *saevit*. Illustrat hoc Virg. Aen. VI, 570.

Continuo sontes ultrix adcincta flagello
Tisiphone quatit *insultans*.

v. 71. *Tum* in plurium rerum enarratione a poëtis usurpatur pro porro (ferner), deinde. Virg. Georg. I, 181.

Area cum primis ingenti aequanda cylindro
Et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat;
Tum *variae illudant pestes.*

cf. Ecl. II, 49. Aen. I, 104. — *serpentum ore stridet*. cuius pro iuba centum muniebant angues caput. Hor. carm. III, XI, 17. Huschk. comp. Virg. Aen. VII, 447. *Erinnys* sibilat *hydris*. et Eurip. Herc. fur. 861. (Matth.) *Γοργών ἑκατογκεφάλοις ὄφεων ἰαχήμασιν.*

v. 75. *novem per iugera*. Odyss. XI, 577. ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο *πέλεθρα*. — v. 76. *assiduae aves* sunt assidentes perpetuo; ex-

Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna; sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,
In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit quicunque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar coelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hunc precor; hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

---

pressit enim Tibullus Homeri versum 578.

γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον.

cuius loci immemor erat Heynius, *aves* poëtice de *uno vulture* dici putans.

v. 82. *Optavit lentas mihi militias;* ut diu in expeditione retinerer, et sibi interea te corrumpere contingeret. Accipiendum autem hoc esse de hac ipsa expeditione docent admonitiones, quas subiicit.

v. 85. *posita lucerna.* Ita Ovid. Heroid. I, 31. dixit *posita mensa.* Ad vv. sqq. cf. Ovid. Fast. II, 742. unde etiam probabilis reddetur tibi eorum ratio, qui non de una, sed de pluribus puellis, i. ancillis, cogitant.

v. 93. *Aurora — equis.* cf. Ovid. Amor. II, XI, 55. qui hinc colorem duxit. — v. 94. *Lucifer* est pro *die.* vid. p. 5.

Lib. I. Eleg. VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda Deo:

---

v. 1. Natalem M. Valerii Messalae celebrans, qui pacatis Asiae provinciis et Aegypto, tum demum de Aquitanis triumphum egerat, (a. U. IↃCCXXVII.) et singula, quibus honos partus sit, loca percurrens, quum ad Aegyptum venisset, commoratur in laude huius terrae et Osiridis i. Bacchi, quem invitat ut interesse velit Natalis celebrationi. Quod sapienter instituit, ne rei ieiunitate longius deductum carmen langueret. Qua in re saepenumero admiratus sum egregiam Horatii artem, quum idoneum nactus argumentum ab instituta via deflectit, et abiecto priori consilio totus ab illo trahitur. cf. carm. III, XI. XXVII. IV, IV. Unde nostri velim discant versificatores, qualia esse et possint et debeant illa carmina, quae ex occasione scripta dicunt. — *Hunc Parcae cecinere diem.* Parcae, dum nebant fila humanae vitae, canebant fata, quod an vetustiorum sit poëtarum nescio, apud Romanos frequens est. vid. Virg. Ecl. IV, 46. Ovid. Met. VIII, 453 sqq. Consol. v. 247. Trist. III, V, 17. 25. quo loco Nostrum est imitatus:

Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
Stamina bis genito, bis cecinere tibi.

canere est praedicere, vaticinari. cf. Hor. carm. I, XV, 4. *hunc diem — hunc fore.* Multum negotii exhibuerunt haec verba editoribus, nec sine iusta causa. Vossius inprimis diem natalem pro homine nato poni, poëseos et rationis humanae fines excedere censuit. Cui non possum non adsentiri, quamvis contrarium Huschkius magna, ut solet, doctrinae impensa docere conatus sit. Nam infaustum hunc diem Aquitanis fuisse, et perniciem iis tulisse, id quidem Tibullus dicere potuit; *fundere* autem est vincere, in fugam vertere, et fudisse diem natalem hostes neque dictum esse a quoquam puto, neque dictum iri ab eo, qui sana mente sit praeditus. Quare si legeretur cum Guelf. 2. *frangere gentes,* ferrem; fundere non habeo quo defendam, et fateor mihi de hoc loco nihil certi constare. Nam neque Ayrmanni emendatio Heynio probata, a Vossio recepta: *Hoc* (Voss.: *Hac*)

Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere; novos pubes Romana triumphos
Vidit, et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

---

cecinere — *Hoc fore* satisfacit, et Wunderlichii sententiam omnium minime probo, qui prius *Hunc* ad diem, alterum ad Messalam pertinere statuit. — v. 2. *Non dissoluenda*, quae solvi non possunt. v. p. 41. —

v. 3. *Aquitanas gentes.* Notum ex Caesaris commentariis nomen. B. G. I, 1. *Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet.* Hos Messala aliosque rebellantes Galliae populos domuerat. „Circa amnem Aturam (Atacem) et Pyrenaeos saltus res gesserat, Aquitanorum maxime ferocia fracta. Triumphavit igitur pro consule ex Gallia ante diem septimum Kalendas Octobres, et ex manubiis viam silice sternendam locavit, quam ne fuisse Valeriam existimemus, Tibulli poëtae, qui bello Aquitanico sub Messala meruit, auctoritati damus, per Tusculanum Albanumque agrum ductam testantis, quum Valeria Tibure in Marsos et Pelignos pertineret.“ E Freinsh. Suppl. Liv. CXXXV, 4. — *posset* non otiosum est, sed eandem habet vim, quam *valere*.

v. 4. *Atax.* Al. e Scaligeri coni. *Atur*, quia scil. hic, non ille, sit Aquitaniae. Sed recte Huschkius monet, illum memorari, ut Ararem etiam et Rhodanum, quia vicini sint Aquitaniae. *Atax* is est fluvius, qui hodie vocatur *Aude*.

v. 5. *Evenere.* quae Parcae vaticinatae erant. — *pubes* est populus, ut recte explicat Wund. cf. v. 27. Virg. Aen. VII, 219. Sic Hor. carm. III, V, 21. *captiva pubes* sunt milites capti. et Epod. XVI, 7. Germaniae pubes, Germani.

v. 6. *evinctos brachia.* sc. post terga, ex more. cf. Ovid. Am. I, II, 31. — *capta brachia* ut Ovid. Trist. IV, II, 21. *captiva cervix.* Met. XIII, 667. *captivi lacerti.* Amor I, XIV, 45. *captivi crines.*

Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis?

---

v. 9. *Tarbella Pyrene.* Tarbelli sunt populus Pyrenaeos montes incolens; hinc Pyrene dicitur *Tarbella* i. Tarbellica. vid. p. 63. — v. 10. *Oceani Santonici.* a Santonibus, gente Aquitanica inter Ligerim et Garumnam, hodii *Saintonge.* cf. Caes. B. G. 1, 10.

v. 12. *Carnuti*, populus supra Ligerim, quorum urbs Autricum Carnutum hodie vocatur *Chartres.* — *flavi* dicuntur a capillorum colore ut Claud. Stil. II, 240. *flava Gallia.* Sic *flavus* dicitur Apollo, ξανθὸς Μενέλαος. et Horat. Epod. XVI, 7. *caeruleos* dicit Germanos ab oculorum colore. — *caerulam* Ligeris undam Heynius propterea dici putat, quia intret per ostia Oceanus et aestuaria faciat. Attamen non solum mare sed fluvii etiam interdum dicuntur caerulei. Virg. Aen. VIII, 64.

Caeruleus Thybris, *coelo gratissimus amnis.*

v. 13. 14. *An te Cydne canam.* An res a te in Asia gestas memorem? De v. 14. scriptura multum dubitatum est a vv. dd. quum alii defenderent vulgatam, alii praeferrent Statii emendationem: *Caeruleis placidus — aquis*, tribus etiam codd. firmatam. alii aliter emendarent. quorum curas vide apud Huschk. et Wund. Atque hic quidem vulgatam revocavit et *caeruleum*, quod improbaverat Huschkius de amne dici, ad purum colorem spectare ait, et poterat hoc firmari loco Statii Silv. I, V, 51.

— — — *niveo qui margine* caerulus amnis
Vivit, et in summum fundo patet omnis ab imo.

vadum accipit de fundo fluminis, laud. Ovid. Met. I, 369. Sed primum quod ibi est: *undas vada nota secantes* de Cephiso dicitur, post magnam diluviem priores cursus repetente, hic autem

Quantus et, aetherio contingens vertice nubes,
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes,
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor

---

simpliciter dicitur Cydnus *per vada* serpere, ne pronomine quidem (sua) addito, quod est frigidissimum; quis enim fluvius non per fundum aliquod fluit? An quis nostro sermone non improbet dici: der mit hellem Quelle *im Bette* dem ruhigen Sumpfe zuschleicht? Deinde, quum *aquis* necessario pro Dativo haberi debeat et sit pro: *in aquas*, etiamsi huc traxeris Strabonis λιμνάζοντα τόπον, magnopere tamen displicet ista verborum ambiguitas, ex qua Geographis scripsisse Tibullus videatur. Quare alteram codd. lectionem, ut veram non esse vel propter superfluum illud *placidus*, iudico, sic praestantiorem vulgata habeo; sed fateor mihi magnopere adridere H. Vossii emendationem: *Caeruleus placidae p. v. s. aquae.* — *tacitis undis* ob lenem cursum. Hor. carm. I, XXXI, 8. *Liris — taciturnus amnis.* Sil. IV, 350. *tacitae ripae*, quum alii fluvii et fontes dicantur *sonantes*, *loquaces* etc. vid. Horat. carm. IV, XI, 2. I, VII, 12. III, XIII, 15. Virg. Aen. VII, 84. — De Cydno vid. Strab. XIV. p. 960. Curt. III, 4.

v. 15, 16. An dicam quantus sit Taurus mons, quem Cilices habitant. Pro *alat* alii *arat* quod Broukhusius significare putat *dirimere*; sed dudum refutatus. Quod vero Huschkius rectius dici judicat: *Quantus Taurus contingat — alens*, id verum non est. Quoties enim permutantur participium et verbum fin. Attigit hoc Hoogw. ad Vig. p. 344. et larga exemplorum copia ex omnibus scriptoribus congeri potest. — *intonsos* e barbarorum more, ut plus semel Ovidius narrat. v. c. Pont. IV, II, 2.

v. 18. *Palaestino Syro.* Syria uno nomine multas complectebatur terras, inter quas erat etiam Palaestina. vid. Plin. H. N. V, 12. — *sancta columba.* Abstinebant Syri a vescendis columbis, ut tradit Lucian. de Dea Syria.

v. 19. *prospectet turribus aequor.* exstructis in immensam molem domibus, v. Strab. XVI, p. 757. Bene Heynius Maecenatia-

Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes quum findit Sirius agros,
  Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter, nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
  Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,

---

nae *molis propinquae nubibus arduis* (Hor. carm. III, XXIX, 10.) mentionem subiecit.

v. 21. *arentes quum f. S. a.* Sub ortum Caniculae Nilo turgente inundatur Aegyptus. Plin. H. N. V, 10. *Incipit crescere luna nova, quaecunque post solstitium est, sensim modiceque Cancrum sole transeunte; abundantissime autem Leone; et residit in Virgine iisdem quibus accrevit modis.* — E recentioribus cf. Ritters Erdkunde. Tom. I. p. 837 sq.

v. 24. *occuluisse caput.* Fontes Nili non Tibulli tantum aevo, sed ad recentiora usque tempora ignoratos fuisse notum est.

v. 26. *Pluvio supplicat Iovi.* Iupiter colebatur ut pluviae auctor. Graecorum Ζεὺς Ὑέτιος sive Ὄμβριος (Paus. Att. XXXII). Simulacrum eius esse putatur in columna Antoniniana. Telluris Iovi Pluvio supplicantis signum Athenis exstitisse tradit Paus. Att. XXIV, quem locum notavit Vulpius. Verba Pausaniae haec sunt: *ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὖσαί οἱ τὸν Δία.*

v. 28. *Memphiten plangere bovem.* Apim, quem ad sacra Aegyptiorum pertinuisse notum est. Mortuo eo per totam Aegyptum gravissimus erat luctus, donec alius repertus esset. — *plangere* ut saepius est *lugere*, unde quarto casui iungitur. — *docta*, solita. docere enim saepe est adsuefacere. Hor. Carm. III, VI, 38. *proles docta versare glebas.*

v. 29. Osiridem Aegyptii colebant, ut qui primus agriculturam et vitium sationem se docuerit; unde mirum videri non pos-

Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus;
Hic docuit teneram palis adiungere vitem;
Hic viridem dura caedere falce comam;
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore

---

est, eum cum Baccho confusum esse. — v. 30. *teneram humum* probabiliter H. Vossius accipit de molli ex Nili exundatione Aegypti humo.

v. 31. *inexpertae terrae.* Sic Valer. Fl. I, 69. dixit: *ignaras Cereris terras.* Ex utroque loco manifestum est, quod me praeterierat, apud Ovid. Trist. III, VIII, 2. legendum esse cum quibusdam codd.

Misit in ignaram *qui rude semen humum.*

v. 34. *dura falce.* immiti, ut recte explicat H. Vossius comparato Virg. Georg. II, 369.

— — — *tum denique* dura
Exerce imperia *et ramos compesce fluentes.*

v. 36. *incultis pedibus.* oblitis musto. infr. II, V, 85.

Oblitus et musto *feriet pede rusticus uvas.*

Ovid. Met. II, 29.

Stabat et Auctumnus calcatis sordidus *uvis.*

Virg. Georg. II, 7.

Hoc pater o Lenaee veni, nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.

v. 38. *nescia membra.* tum demum saltationem docta; quemadmodum supra (v. 31.) dicebatur terra *inexperta*, alias ignara.

v. 39. 40. *Bacchus — dissoluenda dedit.* Bacchum non deum hic esse, sed vinum vult Heynius, quo in indicio desiderabis in-

Pectora tristitiae dissoluenda dedit;
Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec luctus Osiri:
Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor.
Sed varii flores, et frons redimita corymbis;
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:

---

genii acumen. Quippe probe discernendi sunt loci, quibus deorum nomina simpliciter pro rebus eorum imperio sive arbitrio subditis ponuntur, ut: *Bacchus in amphora languescit.* Hor. carm. III, XVI, 34. *falce resecta Ceres.* Ovid. Amor I, XV, 12. *ruinam dat domus Volcano superante.* Virg. Aen. II, 311. *Volcanus per veterem dilapsus culinam.* Hor. Sat. I, V, 73. *Tritonide fertiles Athenae.* Stat. Silv. II, VII, 28. *sub Iove frigido* etc. ab iis, qui ipsum dei deaeve numen iisdem rebus efficax nobis exhibent, cuius rei exempla obvia sunt. Atque hoc sensu Bacchum hic dici produnt verba: *dissoluenda dedit*, *affert.* Ergo quum *vinum* solvere curas dicat, ipsum tamen *deum* nominat, qui, quoniam auctor sit vini, id efficiat. Bacchus autem cum Osiride illo tempore dudum commutabatur. — Structuram verborum post Broukh. optime illustravit Huschkius, hunc in modum, ut *tristitiae* sit casus secundus, et *dissoluenda dedit* pro: effecit ut dissolverentur; sed exempla quae attulit vix ad rem faciunt. Distat enim, infinitivus ponatur, an participium. Equidem ita haec verba accipio, ut quasi mandasse dicatur Bacchus vino, ut curis pectora solveret. In Genitivo non haereo; quamquam enim in loco Huschkio laudato (Liv. XXI, 62.) plurimi legunt: *levarunt animum religione*, nec Pindarus (Pyth. XI, 51. *Τρώων ἔλυσε δόμους ἁβρότατος*) ad Romanorum usum probandum quidquam facit, quia perpetua haec est verbi *λύειν* structura; pari tamen iure dicimus: liberare alicuius rei. — *Tristitia* eo significatu dicitur, quo Terent. Andr. II, II, 23. *ipsus tristis;* nostrum *verdriesslich.*

v. 42. *compede.* Intellige servos catenis vinctos heri saevitia. cf. II, VII, 25. Ovid. Trist. IV, I, 5.

v. 46. *lutea palla* est flava sive crocea. Sic Ovid. Metam. VII,

Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra, et multo tempora funde mero.

---

703. Auroram dixit luteam. cf. XIII, 579. — De palla, communi deorum vestitu v. Broukh. ad h. l. et IV, VI, 13.

v. 48. *conscia cista.* Conscia dicuntur loca, quibus aliquid latet. Cista enim mystica Bacchi tegebat res sacras, quas nisi initiatis nemini videre licebat. vid. Mitsch. ad Hor. carm. I, XVIII, 12. Exstat eiusmodi cista sculpta in sarcophago, qui Dresdae asservatur. v. August. tom. III. tab. CXI.

v. 49. *Huc ades.* Osiris cur ad celebrandum Natalem vocetur, satis illustrat Virg. I, 734.

Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.

v. 50. *tempora funde mero.* Sic etiam Eleg. II, 3. est *multo perfusus tempora Baccho.* et frequens est apud poëtas hic usus, quem inde illustrant, quod ea pars capitis vino largiter hausto maxime incalescat. „Nam didito per corpus ac venas subeunte vini calore, moxque altius se in caput insinuante, caput adeoque tempora perfundi vino videri possunt." Heyn. ad I, II, 3. cui explicationi, ut summe contortae, nihil omnino tribuerem, nisi firmari videretur Prop. III, XV, (IV, XVI. Lachm.) 13.

Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea etc.

Eodem modo Mitscherl. Hor. carm. I, VII, 22. interpretatus est *uda Lyaeo tempora.* Fateor tamen etiamnum me dubitare, veram habeam eorum rationem, an vanam. Putabam olim huc pertinere versus Ovidii Heroid. XIV, 30.

Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas *impediente* comas,
In thalamos laeti, thalamos sua busta feruntur etc.

sed ibi praestat madidas comas explicare madentes sive stillantes unguentis. Virg. Aen. IV, 215.

Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

et. XII, 100. *crines myrrha madentes.*

Illius e nitido stillent unguenta capillo;
  Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne; tibi dem turis honores,
  Libaque Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
  Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceant monumenta viae, quem Tuscula tellus,
  Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
  Sternitur: hic apta iungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna cum venerit urbe
  Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
  Candidior semper, candidiorque veni.

---

v. 51. De sacris Genio factis v. p. 5.

v. 53. *Sic venias hodierne.* H. Vossius, post *venias* distinguens, *hodiernum* putat esse Genium, huius diei deum. Sed egregie vulgatam defendit et illustravit Huschkius, primum comparans Hom. Od. II, 262.

κλῦθί μοι, ὁ χθιζὸς θεὸς ἤλυθες ἡμέτερον δῶ.

deinde Handii praeceptum refutans, nonnisi casu absoluto adiectivum pro adverbio poni. v. Callim. Dian. 26. Eurip. Iph. Taur. 563. Hom. Il. XVII, 384. Denique Vocativus attractionis lege ponitur ut Theocr. XVII, 66. *Ὄλβιε κῶρε γένοιο.* quod Romani etiam imitati sunt. cf. Prisc. XVII, 27. tom. II. p. 106 sq. Krehl. —

v. 54. *Mopsopio.* Attica, nobilis melle Hymettio, Mopsopia a vetere rege dicebatur. v. Strab. s. fin. l. IX.

v. 57. *monumenta viae.* v. ad v. 3. — v. 58. *candida Alba.* comp. Huschkius Prop. III, XVI, 3. Hor. Epod. I, 29. Sat. I, V, 26. — *quem detinet.* Qui habitat Albae. Wund. comp. eleg. III, 3. sed ibi *tenere* est retinere.

Lib. I. Eleg. X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus, ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata,
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

---

v. 1. Ad bellum, ut videtur, Aquitanicum cum Messala abiturus, quum invitus villa sua decederet, composuit hoc carmen, quo et bellum et sui aevi perversitatem detestatur, priscorum hominum simplicitatem laudans. Vota deinde Laribus facit pro felici reditu et pacem denique multis laudibus extollit. Est haec inter praestantissimas habenda elegia, quam cum Broukh. et H. Vossio post primam et ante tertiam huius libri scriptam puto. — *protulit enses.* ferri usum monstravit. *Proferuntur* nova et ignota. Cic. Off. III, 14. *Nondum enim Aquillius collega et familiaris meus* protulerat *de dolo malo formulas.* Hor. Art. 56. *quum lingua Catonis et Enni* protulerit *nova rerum nomina.*

v. 7. *Divitis auri*, i. pretiosi. Virg. Aen. VI, 195. de ramo aureo, Proserpinae sacro: *ubi pinguem* dives *opacat ramus humum.* Prop. III, III, 26.

Nec bibit e gemma divite *nostra sitis.*

Nec non apud Ovid. Met. V, 49. *dives cultus* dicitur de veste pretiosa multoque auro. Hinc optime illustratur quod infra v. 19. legitur *paupere cultu.*

v. 10. *varias dux gregis inter oves.* Heynius ducem gregis arietem, non pastorem esse putans, multa inutiliter de emendando versu disputavit. Quod si non firmaretur altera explicatio versu Ovidii ab Huschkio laudato, Fast. IV, 786. (ignis) idcirco

Tunc mihi vita foret, vulgi, nec tristia nossem
  Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor: et iam quis forsitan hostis
  Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem

---

cum duce purgat oves, eum omni poëtico sensu destitutum dixerim, qui Tibullum arietem inter oves *somnum petentem*, non pastorem, significare existimet. — *variae oves* non sunt versicolores, quae vilissimae habebantur, sed *varii coloris*, nec si viliores oves nominàsset, recte reprehenderetur poëta, cui non magis curae esse debet, quam pictori, quid utile sit et optabile agricolae, sed quid plurimum faciat ad ornandam picturam.

v. 11. *vulgi arma* quae sint, difficile est dictu. Alii militum vulgus intellexerunt, alii homicidarum arma. Neutrum recte. Non enim vulgus militum dicitur, nisi ducibus opponatur; et cum Vossio de homicidis cogitare et *tuba* vetat, et totius carminis ratio. Heinsius emendabat: *Tunc mihi vita foret dulcis.* Heynius: *Tunc mihi vita foret*, *Valgi.* amici nomen esse suspicans. Huschkius: *T. m. v. foret*, *vel ubi nec* etc. Mihi probatur Heynii sententia, arma vulgi dici propterea, quod vulgo, non sapientibus qui pacem colant, conveniant; cui fidem faciam adducto loco Ovidii, qui Amor. I, XV. obiurgantibus quod inertem agat vitam (v. 3.

Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas
  Praemia militiae *pulverulenta sequi* etc.)

quum respondisset: neque summam potestatem, neque gloriam armis partam, neque largissimas divitias aequiparari posse poëtarum laudi, suae dignitatis memor, Vilia, ait.

Vilia miretur vulgus. *mihi flavus Apollo*
  Pocula Castaliae plena ministret aquae.

Wunderlichium autem miror, qui verba *tunc mihi vita foret* explicuerit: Si mihi vita fuisset et esset tunc, mala belli expertus non fuissem. Recte Vossius: Hätt' ich doch damal gelebt!

v. 14. *in nostro latere.* Latus praecipue petiisse depugnantes operose docuit Broukh.

Cursarem vestros cum tener ante pedes,
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi,
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela:
Hostia erit plena rustica porcus hara:
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis; alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est, atram bellis arcessere mortem!
Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax

---

v. 26. *Hostia erit porcus.* Proprio quodam ritu porcum voveri non solum Laribus, sed aliis etiam diis (v. Theocr. XXIV, 97, Pompon. ap. Gell. XVI, 6.), ut hostes arceant et felicem e bello reditum praestent, monuit Huschkius, et tradit hoc ipsum Varro r. r. I, 1.

v. 28. *myrto.* Lares et myrto et aliis sertis coronare mos erat. Hor. carm. III, XXIII, 15.

Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto

ubi vid. Mitscherl.

v. 33. *arcessere Mortem.* i. maturare, ultro accelerare; quod quam stultum est, quum omnis illa expers sit voluptatis.

Cerberus et Stygiae navita turpis aquae.
Illic exesisque genis, ustoque capillo
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
  Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves: at filius agnos,
  Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
  Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat: Pax candida primum
  Duxit aratores sub iuga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
  Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri

---

v. 37. *exesis genis.* Est haec correctio Nic. Heins. codicum auctoritate destituta; hi enim praeferunt: *percussis.* i. pallentibus metu ac terrore, ut vult Huschkius, qui tamen ipse non magis certam hanc interpretationem, quam lectionem dixit, neque probatum iri cuiquam existimo; nam aliud est: *terrere vultus equitum* (Hor. carm. II, I, 19.) et *vultu extimescere.* (Cic. Mil. 29.), aliud *percuti genas.* Caeterum quo timore percussas dicam umbras, non habeo. Alii unius cod. scripturam praetulerunt: *perculsis*, quae si vera est, non minus tamen explicatione indiget.

v. 46. *araturos boves.* al. *aratores*, quod Vulpius reiecit, quia tum demum Pace iungente arare sint docti. Equidem ut receptam scripturam probo et laudo, non habeo tamen, quod in altera reprehendam, et suspicor ita Huschkium quoque sensisse, qui laudavit ex Hesiod. *Ἔργ.* 403. *βοῦν ἀροτῆρα.*

v. 47. *aluit* an cum Heynio explicandum sit: *alere solet*, ut habeat vim aoristi Graecorum, dubito et cum praecedenti *duxit* arctius coniunctum puto.

v. 49. 50. Hos versus imitatus est Ovidius Fast. IV, 927.

Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus,
Ruris opes, niteant: inquinet arma situs.

Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro, progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
Femina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
Flet, sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
Ah! lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat! e coelo deripit ille Deos.
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,

---

v. 51. *e luco* „ubi sacra fecerat, et in epulis sacris cum uxore liberisque potarat." Heyn.

v. 53. *Veneris bella calent.* Veneris bella sunt rixae amantium. cf. dicta ad I, III, 64. — *calent*, magno fervore geruntur. Cic. Phil. V, 4. calebant *interiore aedium parte totius reipublicae nundinae.* Att. IV, 16. *Hoc tamen agitur severius, itaque iudicia* calent. Eodem sensu Virg. dixit: *fervet opus.* Aen. I, 436. et Georg. IV, 169. et similiter Aen. IV, 407. *opere omnis semita fervet.*

v. 57. *mala verba* sunt convicia, maledicta. Hom. Iliad. XXIII, 492.

μηκέτι νῦν χαλεποῖσιν ἀμείβεσθον ἐπέεσσιν,
Αἴαν, Ἰδομενεῦ τε, κακοῖς· ἐπεὶ οὐδὲ ἔοικε.

Odyss. VIII, 408.

Χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε! ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Terent. Andr. IV, I, 16. *Ingeram* mala *multa.* i. convicia.

v. 58. *lentus* al. *laetus;* sed prior scriptura satis munita est Ovid. Art. am. III, 451. Amor III, VI, 60. cf. Broukh. Sil. VIII, 437.

v. 60. *e coelo deripit deos.* Non minor eius est impietas ac temeritas, quam Gigantum, qui Olympo depellere deos sunt conati.

Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat, et miti sit procul a Venere.
At nobis Pax alma veni, spicamque teneto:
Perfluat et pomis candidus ante sinus.

Lib. II. Eleg. I.

Quisquis ades, faveas; fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.

---

v. 65. *spicamque teneto.* Pacem deam et in nummis et in aliis simulacris conspici aristarum fasciculum manu tenentem, docuit Broukh.

v. 1. Egregio hoc carmine ritum sacrorum ambarvalium, quae mense Aprili Cereri et Baccho fiebant, narrat poëta. Deinde Messala, velut deo, ut adspiret sibi, invocato, ad laudes ruris et agriculturae convertitur, quae cuiusvis eruditionis atque humanitatis auctor sit. Facete autem de Cupidine mentionem iniicit et postremo suos hortatur, ut raptim fruantur exiguo gratoque tempore. De Ambarvalibus vid. dicta ad I, I, 20. — *Quisquis ades;* nimirum ad aras, *faveas,* εὐφήμει. vid. dicenda ad seq. eleg. v. 2.

v. 3. *tuis e cornibus.* Corniger Bacchus fingebatur a serioris aevi poëtis, inquinata peregrinis mysteriis vetere religione. Sunt autem cornua tum fertilitatis et abundantiae, tum roboris et potentiae symbolum. vid. Winkelm. W. Bd. 2. S. 547. Mitscherl. ad Hor. carm. II, XIX, 30.

v. 6. *suspenso vomere.* interrupto et dilato in posterum diem opere. Ita *res* dicitur *suspendi* Liv. XXXIX, 29. (i. dubia relin-

Solvite vincla iugis; nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Casta placent Superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus,
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.

---

qui et alio tempore decidenda.) *lacrimae.* Ovid. Am. I, VII, 57. *mora.* Claud. XV, 263. — Male Bachius hoc retulit ad morem veterum supellectilem agrestem super foco suspendendi. vid. Voss. ad Virg. Georg. II, 242. — v. 7. Wunderl. recte *iugis* sextum casum esse statuit. vid. Virg. Aen. I, 562. II, 26. Val. Flacc. I, 628.

v. 9. *Omnia sint operata deo.* Omnis agrestium turba ab opere cessent rem divinam curantes. Virg. Georg. I, 343.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

v. 13. *pura cum veste.* i. candida, eaque recens lota. Hic enim erat sacrificantium vestitus. cf. I, X, 27. Virg. Aen. XII, 169. *puraque in veste sacerdos.*

v. 15. Antequam ad aras adducta hostia caedatur, has fieri preces, monuit Wunderl. — *Di patrii.* Dii prisco avo culti; nempe Ceres et Bacchus cum Laribus. — *agros — agrestes.* Ovid. Fast. IV, 785.

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.

v. 16. *mala pellite.* Hinc *ἀλεξίκακοι*, *ἀποτρόπαιοι* dii vocabantur Graecis, Romanis *tutelares*, *averrunci.*

v. 17. *seges eludat messem.* Locus gemellus est Virg. Georg. I, 226.

Multi ante occasum Maiae coepere (serere) *sed illos*
Exspectata seges vanis elusit avenis.

Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et ex virgis exstruet ante casas,
Eventura precor, viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.

Huschkius laudavit Quinct. I, III, 5. *ut quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, et imitatae spicas herbulae inanibus aristis* ante messem *flavescunt.* et Ovid. Pont. II, IX, 29. — *herbae*, id quod avenae, calami. Ovid. Heroid. XVII, 163. *et adhuc tua messis in herba est.* cf. Virg. Georg. I, 134. Ovid. Met. VIII, 290. Fast. IV, 911. *Fallaces* autem dicuntur, quae herbae luxurie largam messem spondentes spem agricolae conceptam fallunt. Haud secus Virgilius Georg. I, 195. *fallaces siliquas* dixit, *quibus* magnis quidem sed vanis exiguus esset foetus.

v. 19. *Tunc plenis confisus agris.* Si non eluserit seges, sed pleni sint agri Cereris donorum, laetus et nitidus, i. ornatus, sacra rusticus faciet. Intelligenda autem est porca praecidanea, ante messem Cereri oblata. Virg. Georg. I, 347.

— Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, et carmina dicat.

v. 21. 22. *saturi bona signa coloni.* Quorum hilaritas ludique indicio sunt, colonum, *quamvis avidum*, tamen esse saturum, sive frugum proventu contentum. — *ex virgis casas*, umbracula, quae *pergulae*, *trichila*, *hypampeli* dicebantur. vid. Heyn. et Ilgen. ad Copae v. 8. — *ante*, sc. focum. cf. p. 189.

v. 25. *Fumosos Falernos*, sc. cados, qui fumum bibere, atque inde maturitatem contraxere. Solebant enim veteres vina in superiore domus parte, quae fumo pervia esset, reponere, unde vetustescerent. Cadis inscribebatur, quibus consulibus conditi essent. vid. Mitscherl. ad Hor. carm. III, VIII, 11.

Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis.

---

v. 27. *non festa luce madere Est rubor. Madere* hic accipiendum esse de ebriis docent verba, *non est rubor* et *errantes pedes*. cf. adn. ad I, VII, 50. Eodem sensu Horatius dixit, *uvidum esse* carm. IV, V, 37. et Graeci dicunt βρέχεσθαι, et quod Wunderl. protulit e Plat. Symp. 4. βαπτίζεσθαι. — *errantes pedes.* hinc Ovid. Heroid. XIV, 29. dixit *mero dubios.*

v. 29. *bene Messalam.* Est formula prospera omnia alicui precantium, quam illustrant suppletis verbis: valere, rem gerere precor. Non multum differre puto eum usum, quo tertius casus iungitur interiectionibus. vid. Ramsh. L. G. p. 222. 244. Nec non hoc ipsum adverbium dativum adsciscit, quare hunc etiam locum emendatione tentavit Scal. Sed quarto casu usus est etiam Ovidius Fast. II, 637.

Et, bene nos, *Patriae* bene te *Pater optime Caesar*,
Dicite suffuso, sint rata verbo, mero.

v. 30. *singula verba.* „Dictum aut proverbii more qui nobis quoque est; ut singulis verbis adiecta, hoc est, saepius iterata dicatur Messalae mentio; aut ut *singula verba* sint: singulorum verba; quotquot adsunt convivae Messalam valere iubeant.“ HEYN. Priorem sententiam veram esse puto.

v. 32. *intonsis avis.* Usque ad annum p. R. c. CCCCLIV, quo P. Ticinius Maena teste Varrone R. R. II, 11. primum tonsorem ex Sicilia Romam adduxit, Romani capillum aluisse et nullo cultu promisisse videntur. Hinc Plut. Rom. XVI. dicit Romulum δάφνῃ στέψασθαι τὴν κεφαλὴν κομῶσαν. hinc *Numa intonsus* Ovid. Fast. VI, 264. hinc *incomtis Curius capillis.* Hor. carm. I, XII, 41. moris sc. veteris tenax. cf. Mitscherl. ad h. l. — E vetustissima igitur gente natum dicit Messalam. v. quae dixi ad Ovid. Pont. III, II, 103. — *victor.* quod vicisti.

Huc ades, aspiraque mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano, rurisque Deos; his vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
  Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc insita pomus;
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas;
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
  Mixtaque securo est sobria lympha mero.

---

v. 33. *Huc ades.* Similem Maecenatis invocationem vide apud Virg. Georg. II, 39. — v. 35. *his magistris desuevit* etc. cf. Ovid. Fast. IV, 401 sqq.

v. 42. *irriguas aquas.* deductis in hortum per rivos fontibus. Hom. Il. XXI, 257.

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
ἂμ φυτὰ καὶ κήπους ὕδατι ῥόον ἡγεμονεύῃ,
χέρσὶ μάκελλαν ἔχων, ἀμάρης ἐξ ἔχματα βάλλων.

quem imitatus est Virg. Georg. I, 106–110.

Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentes,
Et quum exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.

bibere ut in noto Virgilii versu Ecl. III, 111.

Claudite iam rivos, pueri, sat prata bibere.

id. Georg. IV, 32. *irriguumque bibant violaria fontem.* ubi pariter ac nostro loco *irriguus* est, qui irrigat.

v. 44. *securo mero* ab effectu, quod homines reddit curis solutos, quem in modum Virgilius dixit Aen, VI, 715.

— — — *Lethaei ad fluminis undam*
Securos latices *et longa oblivia potant.*

sobria lympha, aqua. cf. I, VI, 28.

Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede;
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti,
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ovili,

---

v. 48. *annua* terra comas deponere dicitur pro *quotannis*, ut versu sequenti *verno alveo* pro: *vere*. Ibidem *flores* ingeri alveo dicuntur pro succo florum.

v. 49. *assiduo satiatus aratro* Wunderl. dictum putat pro longorum et assiduorum operum taedio affectus, cui adsentit Huschkius comparans Eurip. Phoen. 1764. *κόρον ἔχουσ᾽ ἐμῶν κακῶν.* Hom. Od. IV, 541. *κλαίων ἐκορέσθην.* Il. XI, 86. *ἐπεί τ᾽ ἐκορέσσατο χεῖρας τάμνων δένδρεα μακρά, ἅδος τέ μιν ἵκετο θυμόν.* Cic. pro Sull. XXXII. *Te ipsum iam, Torquate*, expletum *esse huius* miseriis *par erat.* Heynius tamen et Vossius eodem significatu participium ceperunt, quo supra erat: *saturi bona signa coloni.*

v. 53. Originem rei scenicae repetendam esse a festis agricolarum, praeter Nostrum tradit etiam Horatius Art. 275. Qualia fuerint illa agrestium virorum *αὐτοσχεδιάσματα* docuit Böttigerus Archaeol. der Malerei p. 189. cf. Virg. Georg. II, 385 sqq. Non temere autem Bacchum invocat, quippe cuius in festis primum agerentur illi ludi, et cui postea quoque res scenica sacra esset. — *minio suffusus.* i. illitus. *Suffundi* rubore proprie dicuntur et recte erubescentes, ut Ovid. Met. I, 484.

Pulchra verecundo suffunditur *ora* rubore.

cf. Amor. III, III, 5. Hinc quo pacto minio suffundi dicantur agricolae patet. — v. 54. *inexperta*, nova. Praepositio abundat.

v. 55. 56. *a pleno ovili.* al. *e pleno o.* Virg. Ecl. I, 7. *tener*

Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assiduae textis operata Minervae
Cantat, et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes velut ante petit; fixisse puellas
Gestit, et audaces perdomuisse viros.
Hic iuveni detraxit opes; hic dicere iussit

---

ab *ovilibus agnus.* Xenoph. Mem. Socr. II, VII, 2. *λαμβάνομεν δὲ οὔτε ἐκ τῆς γῆς οὐδέν· οἱ γὰρ ἐναντίοι κρατοῦσιν αὐτῆς· οὔτε ἀπὸ τῶν οἰκιῶν.* — v. 56 asteriscis ut suspectum notarunt Heynius et Huschkius. Vossius Heinsii emendationem dedit: *Dux pec. hirtas* etc.

v. 63. 64. *assiduae textis operata Minervae.* Legebatur olim *assidue textrix op. M.* sed pulchre emendatus est locus vv. dd. curis. Iunge autem: *operata textis assiduae Min.* quod bene illustravit Bachius loco Ovid. Met. VII, 746. *studiis operata Dianae.* — *assidua Minerva* est, quae Hor. carm. III, XII, 4. dicitur *operosa*, *Παλλὰς Ἐργάνη.* — *applauso latere.* telae scilicet, quae pulsa pectine sonitum edit. vid. doctam adnotationem Huschkii. Alii legunt: *pectine tela sonat*, quae manifesta est interpolatio. — Caeterum ut gratissima imago, ita inde ab Homero poëtis est celebrata. Odyss. X, 221.

Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ,
Ἱστὸν ἐποιχομένης μέγαν, ἄμβροτον.

Limen ad iratae verba pudenda senem.
Hoc duce, custodes furtim transgressa iacentes,
Ad iuvenem tenebris sola puella venit,
Et pedibus praetentat iter suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes, hinc procul, abde faces.
Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet,

---

v. 72. *Limen ad iratae* scil. puellae ex consuetudine Tibulli, ut observavit Heynius ad I, VIII, 51. *Parce, precor, tenero.* Huschkius addidit Prop. I, IX, 22.

Et nihil iratae *posse negare tuae.*

et eiusdem III, VIII, 28.

Semper in irata *pallidus esse velim.*

v. 73. *custos iacens* est ianitor dormiens. —

v. 80. *procul abde faces.* Similiter infra carm. IV, 6. ad Nemesin: *remove, saeva puella faces.*

v. 82. *vocate voce.* Est haec formula in precationibus publice factis solemnis, cuius exempla attulit Huschk. Ennii apud Cic. Div. I, 20. ubi tamen adiectum est *blanda*, et Virg. Aen. VI, 247. *Voce vocans Hecaten.* cf. IX, 403. quibus commentarii instar sunt vota Velleii, II, 131. *Iupiter Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quidquid numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit,* vos publica voce obtestor atque precor: *custodite, servate, protegite hunc statum* etc. — Caeterum olim iam comparati sunt versus Homerici, Iliad. VII, 194 sqq.

— ὑμεῖς εὔχεσθε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι,
σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται·
ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔτινα δείδιμεν ἔμπης.

Simillime Tibullus: *Aut etiam sibi quisque palam.*

Aut etiam sibi quisque palam; nam turba iocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite, iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro.
Postque venit tacitus, fuscis circumdatus alis,
Somnus, et incerto Somnia nigra pede.

---

v. 83. Sive quis palam, i. voce, malit sibi deum vocare, eum ne pudeat; strepitus enim turbae, tibiaeque soni impedient, quominus a caeteris vota audiantur. — v. 84. *tibia curva.* Ad aras, ne quid sinistri audiretur adhibebantur, qui tibia canerent: Virg. Georg. II, 193.

Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

curva autem dicitur, quia cornu habebat adfixum, quo graviorem ederet sonum, vid. Broukh.

v. 85. *currumque sequuntur matris.* Siderum mater quo iure a poëta Nox dicatur in promtu est, neque inter fabulas hoc referri velim, ut quidam fecere. Similes Euripidis versus laudavit Scalig. Ion. 1150.

Μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς
ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.

Sensu prorsus contrario a Sophocle Trach. v. 95. Nox dicitur *τίκτειν τὸν Ἅλιον.*

v. 87. *fuscis circum datus alis.* Tam Somnus, quam Mors et ipsa Somnia (Eurip. Hec. 71. *μελανοπτέρυγες ὄνειροι.* v. 703. *φάσμα μελανόπτερον.*) alati fingebantur. — v. 88. *Incerto pede* incedere dicuntur Somnia ob naturam incertam et ambiguam. Pro *nigra* Huschkius recepit e codd. *vana.*

Lib. II. Eleg. II.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras;
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,

---

v. 1. Celebrat hoc carmine amici diem natalem, Geniusque quibus honoribus colendus sit, indicit. Cerinthi autem vota pro puellae amore constanti felicique connubio rata fore auguratur. — Huschkius cum antt. edd. distinxit: *Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras.* Nam *dicere bona verba* esse locutionem absolutam, et finxisse vett. deos ad sacra sua accedentes, qua de re dictum est ad I, VII, 52. Sed an hoc satis sit argumentorum dubito, neque quae sit illa absoluta locutio video. *Bona verba* sunt preces ad aras conceptae, ut intelligitur ex Ovid. Trist. III, XIV, 17.

Libaque dem pro me genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas *ore favente* preces?

cf. v. 24. et lib. V, V, 5.

Lingua favens adsit longorum oblita malorum,
Quae, puto, dedidicit iam bona verba loqui.

et *bona* quidem, quia qui sacris adessent, ante aras *male ominatis*, ut ait Horatius carm. III, XIV, 11. *parcebant verbis*, quod ipsum vult formula: *favere linguis*, *εὐφημεῖν*. Haec tamen saepius usurpatur pro silere. vid. Fest. in *Faventia*. Mitscherl. ad Hor. III, I, 2. Aristoph. Thesm. 39. *εὔφημος πᾶς ἔστω λαὸς στόμα συγκλείσας.* — Caeterum Natalem a Genio non esse distinguendum recte statuit Wunderl. in Obss.

v. 3. *urantur odores.* vid. ad Ovid. Trist. IV, X, 12. — v. 4. *tener Arabs.* v. ib. p. 3. Virg. Georg. I, 57.

India mittit ebur, molles *sua tura Sabaei.*

v. 5. *Genius adsit.* al. *adsit Genius.* Sed producitur tertia vocis *Genius*, quia cadit in primam syllabam tertii pedis. Virg. Aen. XI, 469.

Concilium ipse pater et *magna incepta Latinus.*

Genius idem est qui Natalis.

Cui decorent sanctas mollia serta comas,
Illius puro destillent tempora nardo;
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis.
En age, quid cessas? adnuet ille; roga,
Auguror, uxoris fidos optabis amores;
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove.
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus Indis

v. 7. 8. „Genii simulacrum, adolescentis speciem referens, corollis ornatur, nardo aliisve unguentis delibutis capillis. Institutum hoc forte eo, ut tanto magis epulis ille suis adesse videretur; quandoquidem conviviorum ille mos perpetuus erat, ut coronati essent et uncti convivae.“ Heyn. Si aliis iisque certioribus hic ritus nititur testimoniis, non repugno, sed hunc nostrum locum cave, argumenti loco habeas. Nam poëta Genium accedentem ad sacras epulas fingens, eundem ei cultum fore auguratur, quo ipsi homines conviviis accumbere solebant. Alioquin recte etiam aliquis statuat simulacrum mero maduisse. cf. I, VII, 51 sqq. — *madere* est plenum esse, vel ebrium, qui usus frequentissimus est.

v. 9. *quodcunque rogabis.* Contra Guyetum, emendantem *rogaris*, bene disputavit Huschkius. Neque enim dubium est, an rogaturus sit Cerinthus, neque insolens est hic futuri usus. Horat. A. P. 339.

Ne, quodcunque *volet*, *poscat sibi fabula credi*,

atque ipse Noster I, IV, 39.

Tu puero quodcunque *tuo tentare* libebit
Cedas. obsequio plurima vincit amor.

v. 11. Vossius nuper duxisse Cerinthum adfirmat, quo iure nescio. Neque hae cum sententia conciliari possunt vv. 17. 18. Rectius Heynius puellam amatam intelligit, quam sibi esse uxorem optet. — v. 12. *edidicisse deos.* eodem voto toties ad aras facto.

v. 15. *Nec tibi.* int. malueris. cf. Prop. I, VIII, 33. — *gem-*

Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Utinam trepidantibus advolet alis,

---

mae sunt margaritae, quas maximo habebantur pretio et quarum in usu quam luxuriosi fuerint Romani, disces e Böttig. Sab, tom. II. p. 117. 150 sqq. — v. 16. *Eoi qua maris unda rubet.* sole oriente.

v. 17. 18. *Vota cadunt.* Hunc locum et scriptura et interpretatione dubium ita magno consensu vv. dd. interpretati sunt, ut verba *Vota cadunt* explicarent *rata sunt.* cf. Passerat. ad Cic. p. Quint. c. XVI. Hac tamen explicatione admissa quum viderent non satis apte inferri voti repetitionem, abierunt plerique in sententiam Guyeti et Heinsii pro vulgata, *Utinam trep. adv. alis,* reponentium: *Viden' ut trep.* etc. Quibus quamquam cautius fortasse acturus essem si adsentirem, tamen erroris periculum subire malo, quam servili animo eorum auctoritatem sequi, quos ipsos erroris reos habeo. Nam primum id an recte fiat dubito, quod *cadunt* interpretantur: *rata sunt.* quod sibi pulchre demonstrare sunt visi simili, sed non minus dubiae interpretationis loco, I, VI, 85. *Haec aliis maledicta cadant,* et quum alia, puto, huius usus exempla deessent, alterum altero vicissim firmari curarunt. Scire tamen velim, quo alio loco *cadere* i. e. *accidere* positum sit pro *evenire*, *ratum esse* (in Erfüllung gehen). Nam Broukhusius, quem illi sequuntur, edixit quidem: „Verbum cadere habere notionem eventus certi, et quidem in utramque partem"; sed iis usus est exemplis, quae taceri omnium maxime oportuit. Prop. I, XVIII (XVII), 4.

Omniaque ingrato litore vota cadunt.

et I, XVII (XVI), 34.

At mea nocturno verba cadunt *Zephyro.*

quibus adde Lucr. IV, 1178. et Ovid. Heroid. III, 98.

At mea pro nullo pondere verba cadunt.

Haec quam aliena sint ab interpretatione Broukhusii vides, siquidem in omnibus *vota*, *verba cadunt* est pro pronuntiantur, funduntur. *Verba*, inquit Propertius, *cadunt Zephyro*, i. e. non audit puella meas querelas: ventis loquor nocturnis. *Vota*, ait idem, *cadunt ingrato litore*, i. e. inhospitali in litore vota pectore effundo, quae nemo audit. Similiter Lucretius et Ovidius. Neque

Flavaque coniugio vincula portet Amor!
Vincula quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias, Natalis, avi, prolemque ministres;
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

---

vero tam absonum est hoc dicendi genus; dicimus enim *iacere verba*, *excidisse* aliquid etc. — Iam si recte interpretatus sum Propertium et Ovidium, quid obstat, quin eadem ratione Tibullo saevas medicorum manus reformidanti opem feramus, et reiecta Guyeti emendatione veterem scripturam servemus. — Iam, inquit, pronunciata sunt vota. Utinam iis respondens advolet quam celerrime Amor, portetque felicissima coniugii vincula. — Hac admissa explicatione neque in coniunctivo *maneant* offendes, neque in v. 21. quem cum Guyeti scriptura conciliari non posse recte statuit Wunderlichius. Caeterum eodem sensu accipienda puto verba: *Haec aliis maledicta cadant.* — *Flava vincula*, quia is color cum nobilissimus et laetissimus habebatur, tum in nuptiis Romanorum solemnis erat. vid. Böttig. Aldobr. Hochz. p. 34. 128 sqq.

v. 21. *Hac venias, Natalis, avi.* i. hoc augurio. cf. Prop. IV, I, 20. Hor. carm. I, XV, 5. Epod. X, 1. — In codd. est: *veniat — ministret.* In libro Ursini: *Ludat ut.*

Lib. II. Eleg. III.

Ruram eam, Cerinthe, tenent villaeque puellam:
Ferreus est eheu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus laetos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, quum dominam adspicerem, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum?
Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves?

---

v. 1. Quum rus abiisset puella, paratum se dicit poëta, qui et ipse relicta urbe rusticos labores subeat. Neque erubescendum sibi propterea esse, ipsum enim Apollinem Admeti olim amore captum tauros eius pascere non dedignatum esse. Hactenus quidem omnia sunt planissima, sed quae a versu inde tricesimo tertio leguntur, tantum a superioribus discrepant, ut facile, quidquid Huschkius disputet, in Heynii Vossiique sententiam discedam, non posse eas unius carminis partes esse. Quare rectius me facturum existimabam, si fragmentum elegiae reciperem, quam si dubiae sedis versus et male cum superioribus nexos adiicerem, aut totum carmen praeterirem, quo an quidquam venustius inveniatur dubito. — *rura villaeque.* ἓν διὰ δυοῖν.

v. 3. *laetos agros.* Muretus explicat hilaratos dominae praesentia; Huschkius universe putat esse virentes. Sed in locis laudatis ab eo, Hor. carm. IV, IV, 13. *laetis caprea pascuis.* et Ovid. Fast. IV, 476. *pascua laeta boum.* laeta sunt pinguia, luxuriantia, unde Virgilius initio Georgicorum dixit: *Quid faciat* laetas *segetes.* Hic eo sensu poni puto, quo dicuntur etiam prata *ridere.* Eleganter autem Venerem cum puella sua rus facit migrantem. — *iam nunc.* Pleonastice iunguntur particulae. cf. Terent. Andr. I, I, 144. II, V, 13. Phorm. IV, IV, 18.

v. 5. *quum dominam adspicerem.* Huschkius praetulit unius cod. scripturam: *dum d. a.* cf. I, II, 73. — Comma post *ego* a Wunderlichio male sublatum restitui.

Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Laederet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo;
Nec cithara, intonsae profueruntve comae.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
Quidquid erat medicae, vicerat, artis, Amor.
Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,
Raraque per nexus est via facta sero.

---

v. 11. Nota est de Apolline, *pastore ab Amphryso* fabula, qui inde Νόμιος dicebatur. Callim. Apoll. v. 47.

> *Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου*
> *ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσῷ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους*
> *ἠϊθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.*

Alii tamen eum hac servili conditione Iovi poenas dedisse aiunt ob interfectos Cyclopes. cf. Apollod. III, X, 4.

v. 12. *profuerunt.* Ad conciliandum sibi Admeti animum explicat Wunderlichius. Immo, quin amore ureretur, neque artes, neque caeterae dotes, neque divina maiestas prohibuerunt. — *intonsae comae.* Apollinem et Bacchum iuvenili semper aetate a poëtis et artificibus fictos esse notum est. Hinc, quum ad virilem usque aetatem Graeci, sola puto Dorica gente excepta, (vid. Plut. Lyc. XXII. Manso, Sparta, Th. 2. S. 198 f.) comam alerent, utrique etiam deo capillum per humeros promittebant, quum caeteri atque ipse quidem Mercurius, illam aetatem egressus, comam breviorem gestarent. Propterea illi ἀκερσεκόμοι dicebantur. Tib. I, IV, 38.

> *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas;*
> *Nam decet intonsus crinis utrumque deum.*

In v. 14. tolle omnem distinctionem.

v. 15. Inter hunc et priorem versum libri quidam inserunt duo integra disticha:

> *Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,*
> *Et potum pastas ducere fluminibus.*
> *Et miscere novo docuisse coagula lacte,*
> *Lacteus et mistus obriguisse liquor.*

O quoties illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror.
O quoties ausae, caneret cum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves.
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et e templis irrita turba domum.
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parva te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est; sed cui sua cura puella est,
Fabula sit, mavult, quam sine amore deus.

---

quae tamen incertae admodum sunt auctoritatis. v. Huschk. — *Fiscella*, calathus in usum cogendi lactis, *detexta est.* i. q. texta. vide similem versum apud Virg. Ecl. II, 71.

v. 19. *valle sub alta* ex usu Romanorum pro *in valle.* cf. adn. ad Ovid. Trist. I, III, 19. — v. 24. *noverca* est Iuno.

v. 26. *Phoebi quaereret comam.* i. non agnosceret; nostrum *vermissen.* Cic. Verr. III, 18. *Herbitensis ager, Ennensis* etc. *ita relictus erat ex maxima parte, ut non solum iugerum sed etiam dominorum multitudinem* quaereremus. — v. 31. *fabula.* vid. adn. ad Ovid. Trist. IV, X, 68.

Lib. II. Eleg. VI.

Castra Macer sequitur; tenero quid fiet Amori?
 Sit comes, et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa virum terrae via, seu vaga ducent
 Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
 Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
 Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus, valeantque puellae;
 Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.

---

v. 1. Aemilio Macro, de quo dictum est ad Ovid. Trist. IV, X, 44., sago togam mutante, iocose hortatur Amorem, ne suam sibi praedam effugere patiatur. Alioquin se etiam paratum esse qui militatum abeat. Haec dum iactat, dum Venerem puellasque valere iubet, ianua Nemesis clausa omnem animo fortitudinem excutit. Tum vero diris in Amorem invehitur, ipsamque Nemesin per sororis cineres obtestatur, ut mitiore in se sit animo. — v. 2. *Sit comes.* Soll er etwa? *Comes* quo sensu accipi debeat, nimirum militem an calonem poëta esse velit Cupidinem, studiose editores quaesiverunt, et armigerum sive ὑπασπιστήν (vid. Eurip. Phoen. 1089. Xenoph. Anab. IV, II, 13.) intelligendum esse affirmarunt. Magna scilicet quaestio! Sententiarum nexus hic est: An Cupido, suum dimittere nolens, una proficiscatur, et terra marique militiae perferat molestias? Quin tu potius, puer, revoca erronem.

v. 5. *ferus* fere i. q. ferox, qui ita se paravit, ut nullo tangeretur amore.

v. 7. *erit hic quoque miles. Hic:* ego. δεικτικῶς. Terent. Andr. II, I, 9.

Facile omnes dum valemus recta consilia aegrotis damus.
Tu si hic sis, *aliter sentias.*

cf. Hor. Sat. I, IX, 47. — Iam, inquit, ego quoque miles ero, isque gregarius, quamquam durissima est eorum conditio.

Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
  Excutiunt clausae fortia verba fores.
Iuravi quoties, rediturum ad limina nunquam!
  Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas
  Ilicet exstinctas adspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
  Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto; sed credula vitam
  Spes fovet, et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis

---

v. 11. *Magna loquor*, aspera et superba. Sophocl. Ant. 1326. *μεγάλοι λόγοι μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων ἀποτίσαντες.* et v. 127. *Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει.* Eadem sunt *fortia verba.* Martial. II, 69, 8. *Grandia verba ubi sunt?* — Formulam *excutere alicui verba* copiose illustravit Broukh. Cic. Sulla. VIII. *mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem.* Aeschyli locum addidit Huschk. Prom. 359. *ὅς (κεραυνὸς) αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων κομπασμάτων.*

v. 14. *pes ipse redit*, i. ultro, me invito. Prop. II, XIX, 59. *Ultro contemtus rogat — et invitis ipse redit pedibus.* Ovid. Trist. I, III, 55.

Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.

v. 16. Servavi hic quoque Wunderlichii interpunctionem, quamquam invitus. Neque enim pro adverbio habere possum vocem *ilicet*, quae et hic, et in locis similibus omnibus interiectionis locum tenet. unde apud Plautum accusativum adsciscit. Cist. IV, II, 17. *ilicet me infelicem et scelestam!* Quare mallem distingui:

Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas,
Ilicet! exstinctas adspicieremque faces.

Caeterum haec unius est codicis scriptura. In caeteris est: *Si licet* aut *Scilicet*.

Semina, quae magno foenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam!
Parce per immatura tuae precor ossa sororis;
Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis;
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem;

---

v. 27. *negat illa.* difficilis est precibus meis. — v. 28. *ne vincas deam.* scil. Spem. *vincere* autem est frustrari, ut apparet e locis Huschkio laudatis: Cic. Verr. I, 6. *et in sortitione istius spem fortuna populi Romani et in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum imprudentiam vicerat.* Liv. XXVII, 49. *Ea celerrima via mortis in tantae molis bellua inventa erat, ubi regendi* spem vicissent.

v. 29. *immatura ossa*, immatura morte raptae. — v. 30. *Sic bene quiescat. formula obtestandi.* Noster I, IV, 1. *Sic umbrosa tibi contingant tecta*, sc. ut me doceas. Graeci: *οὕτως ὄναιο σύγε.* Eurip. Med. 712.

οὕτως ἔρως σοι πρὸς θεῶν τελεσφόρος
γένοιτο παίδων, καὐτὸς ὄλβιος θάνοις.

v. 33. 34. Locum egregium Sophoclis comparavit Huschk. Elect. 1100.

ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμοῦ
ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ.

Paullo diverso sensu *queri cum aliquo* dici vidimus p. 65.

Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto:
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Moestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra,
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi;
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

Lib. III. Eleg. I.

Martis Romani festae venere Kalendae;
Exoriens nostris hinc fuit annus avis;
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa,

---

v. 36. *ut* est pro tamquam.

Hactenus Tibullus suos cecinerat amores; nunc aliorum ignes, vel suos fictis nominibus, hoc quidem libro Lygdami et Neaerae; libro quarto autem Sulpiciae et Cerinthi celebrat. Et fuisse qui propterea Tibulli haec esse carmina negarent notum est. Lygdamum enim Vossius novum poëtam fecit, Sulpiciam ipsam suos amores cecinisse Heynius cum aliis censebat. Horruit, puto, Tibullus, quum se iam spolium esse videret, misitque qui causam suam fortiter inter vivos agerent. Inter quos eruditissimus Spohnius in singulari libello de vita Tibulli non solum illos refutavit, sed multa quoque de Neaera reliquisque nominibus probabiliter disputavit, quamquam etiam post hunc non pauca discutienda restant. Hunc tu adi, si plene de ista controversia edoceri vis. Caeterum id negari non potest, non solum priora, sed etiam quarti libri carmina his, quae sequuntur, longe esse praestantiora. cf. quae super hac re dixi in praefatione.

v. 1. Kalendis Martiis celebrabantur Matronalia, mosque erat Romanis uxoribus et puellis amatis munera mittere. Quare Lygdamus Neaeram suam carmine donat. — *Exoriens hinc fuit annus.* vid. Ovid. Fast. III, 135 – 150.

v. 3. *certa pompa.* Pompam dicit servorum, missorum (πεμ-

Per, vos, auctores huius mihi carminis, oro,
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit; nullus defluat inde color.

---

nentes adiiciam, quorum nullus morem melius illustrat, quam Martialis versus illi, lib. III. ep. II. ubi ad librum suum verba faciens: *Cedro*, ait,

> *Cedro nunc licet ambules perunctus,*
> *Et* frontis *gemino decens honore*
> Pictis *luxurieris* umbilicis;
> *Et te* purpura *delicata velet,*
> *Et cocco rubeat superbus* index.

Adde eiusdem poëtae versus laudandos infra ad v. 17. Nec minus idoneus est locus Ovidii, Trist. I, I, 5.

> *Nec te* (*liber*) purpureo *velent vaccinia* fuco:
> *Non est conveniens luctibus ille color.*
> *Nec* titulus *minio, nec cedro charta notetur*:
> Candida *nec* nigra cornua fronte *geras.*
> *Felices ornent haec instrumenta libellos;*
> *Fortunae memorem te decet esse meae.*
> *Nec fragili* geminae *poliantur pumice* frontes:
> *Hirsutus passis ut videare comis.*

Cf. etiam verba Luciani supra laudata et eiusdem *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων.* tom. I. p. 478. Graev. *ἅπαντες γὰρ ἀκριβῶς ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τούτοις βιβλίοις ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοί, πορφυρᾶ δ' ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα.*

v. 15. *Per, vos* etc. Iunge. *Oro vos* (Musae) *auctores* etc. *per umbram Castaliam* etc. Sed durum et languidum hoc esse, nemo negabit. Huschk. suspicabatur legendum esse pro *huius*: Musae.

v. 17. *cultum libellum. Cultus* est politus et ornatus. Martial. I. ep. 67.

> *Sed pumicata fronte si quis est nondum,*
> *Nec umbilicis* cultus *atque membrana.*

id. lib. VIII. ep. 72. *murice* cultus *asperoque morsu pumicis politus.* et lib. X. ep. 1. *liber* cultus *sindone non quotidiana.*

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam larga donate salute,
Atque haec submisso dicite verba sono:
Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit, et, accipias munera parva, rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniux, sive futura soror.
Sed potius coniux; huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

Lib. III. Eleg. II.

Qui primus caram iuveni, carumque puellae
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.

---

v. 19. 20. *si cura est, an minor* etc. Constructionem illustravit Huschk. comp. Prop. III, V, 39–45. et Hor. Epist. I, III, 30. — *an toto pectore deciderim.* Vulpius comparavit versum Homeri Iliad. XXIII, 595.

ἐκ θυμοῦ πεσέειν καὶ δαίμοσιν εἶναι ἀλιτρός.

v. 23. *vir quondam.* coniux futurus. *frater.* i. amator. ut et infra *soror* pro amica.

v. 28. *pallida Ditis aqua.* Pallor communis est rebus infernis omnibus. Lethen poëtam dicere non dubium est.

v. 1. Queritur hac elegia Lygdamus de puella sibi erepta, quem casum ut ferat, deesse sibi animi fortitudinem. Absumtum se iri cura et dolore, et tum demum in funere suo fleturam esse Neaeram.

v. 4. *erepta coniuge.* i. puella quam sibi coniugem fore speraverat. cf. II, II, 11. et Virg. Aen. III, 330. ubi Orestes, rapta per-

Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
Ingenio; frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat, longos incomta capillos,
Et fleat ante meum moesta Neaera rogum.
Sed veniat carae matris comitata dolore;
Moereat haec genero, moereat illa viro.
Praefatae ante meos Manes, animamque precatae,

Pyrrhum promissa sibi in matrimonium Hermione dicitur: *ereptae magno inflammatus amore coniugis.*

v. 5. *non ego firmus in hoc.* Wunderlichius comparavit versum Ovidii Amor. II, X, 12.

Nonne erat in curas una puella satis?

Ergo *hoc* quartum casum esse statuit; cui quidem explicationi maiorem speciem facere potuit loco Velleii Pat. qui lib. II, 13. scribit: *M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore* in omnia *ingenio animoque, quam fortuna usus.* Possint etiam verba *in hoc* ita capi, ut posita videantur pro *adeo*, quemadmodum dicimus: *in tantum*, sed nescio cur confugiendum nobis sit ad istas subtilitates. Rectius enim pronomen sexto casu habebis, ut sensus sit: Non firmus sum in hac re. Hor. Epist. I, I, 11.

Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc *sum.*

v. 9. *tenuem mutatus in umbram.* v. quae adn. p. 14.

v. 13. *matris comitata dolore*, i. matre dolente. — v. 14. *genero — viro.* generi vel viri (futuri) morte.

v. 15. *Praefatae meos Manes.* Rogo combusto defuncti Manes ter alta voce vocare mos erat. vid. Virg. Aen. V, 98. VI, 506. Verba *animamque precatae* Heynius retulit ad formulam illam

Perfusaeque pias ante liquore manus,
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legant;
Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc, quas mittit dives Panchaïa merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem;
Sic ego componi, versus in ossa, velim.
Sed tristem mortis demonstret litera causam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
LYGDAMUS HIC SITUS EST; DOLOR HUIC ET CURA NEAERAE,
CONIUGIS EREPTAE, CAUSA PERIRE FUIT.

---

notam: Have, anima innocentissima etc. Haec tamen *novissima verba* collectis et in urna conditis ossibus tum demum pronunciabantur. vid. Virg. l. l. Quo facto comitantium turba discedebat. Neque versu sequenti *perfusas liquore manus* ad communem lustrationem pertinere puta. *piae manus*, ὅσιαι, sacra peragentium.

v. 18. *incinctae* i. succinctae, indutae vestem lugubrem.

v. 21–26. Sparsi vino et lacte cineres carbaseis super velis (φάρεσι) siccentur, et tum demum in sepulchro marmoreo ponantur, quod pretiosissimis odoribus et piis spargatur lacrimis. De Heynii errore, cineres unguentis sparsos comminiscentis vid. p. 197.

v. 27. *litera* est titulus. cf. superioris elegiae v. 12.

Lib. III. Eleg. III.

Quid prodest coelum votis implesse, Neaera,
  Blandaque cum multa tura dedisse prece;
Non ut marmorei prodirem limine tecti
  Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri,
  Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
  Inque tuo caderet nostra senecta sinu

---

v. 1. Idem fere huic elegiae, quod superiori, est argumentum; queritur enim Lygdamus, vota, quibus coelum implere soleat, quantumvis modesta, tamen esse irrita. Non se beatam divitiis et luxu vitam expetere, sed Neaerae amorem et coniugium, qua spe si exciderit, malle se vita defungi. *Quid prodest.* Indignabundus Lygdamus magno Neaerae desiderio deos videtur obiurgare, quod frustra tura iis det et vota faciat, eaque modesta admodum. Infinitivi *explesse* — *dedisse* significatione praesentis dicti videri possunt, quia praecedit praesens. Sic Ovid. Fast. I, 97.

Obstupui, sensique metu riguisse *capillos.*

id. ib. I, 354.

Sus dederat poenas. exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse *caper.*

Liv. XXXIX, 14. *Placuit edici, ne quis, qui Bacchis initiatus esset,* coisse *aut* convenisse *causa sacrorum velit, neu quid talis rei divinae* fecisse. cf. Prop. I, XVII. 1. Possunt tamen etiam ita accipi, ut dicat se votorum dudum factorum nullum etiamnum percepisse fructum. Ipse Noster I, III, 23.:

Quid tua nunc *Isis mihi, Delia, quid mihi* prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?

v. 2. *Blanda* dicit tura, quoniam iis blanditur Diis.

v. 8. *nostra senecta.* ego, senex factus in tuo sinu vitam ponam, quum praemensae vitae tempore defunctus fuero, i. e. quum annos fatales explevero. Huschkius tamen, offendens in verbo

Tum, quum, praemensae defunctus tempora lucis,
  Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
  Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
  Taenare, sive tuis, sive, Caryste, tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
  Aurataeque trabes, marmoreumque solum?

---

praemetiri alteram amplexus est scripturam: *permensae.* — v. 10. *Lethaea ratis* est inferna.

v. 13–16. Quid prodest splendide habitare, si tuo amore caream? Inter nobilissima marmora habebatur Phrygium, quod in Synnadorum vicinitate effodiebatur. Nec minus pretiosum erat Laconicum sive Taenarium, et quod prope Caryston, Euboeae oppidum, caedebatur. Rem egregie illustravit Broukh. Erant haec marmora variorum colorum, unde Horatius Epist. I, X, 22. ipsas *columnas* dixit *varias.* vide ibi Obbarium. Idem poëta *Phrygii lapidis* mentionem fecit carm. III, I, 41., sed alia etiam genera ut pretiosissima commemorat: Hymettium et Numidicum. v. Mitsch. ad carm. II, XVIII, 3 sq. cf. Prop. II, XXXI, 3. — *nemora in domibus.* Scimus e Suetonio, Neronem intra domus aureae septa habuisse stagnum maris instar, circumseptum aedificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. cf. Mart. I, ep. 2. Sed diu iam ante hunc insani hominis luxum, non solum molles et luxuriosi, sed qui vel maxime frugi essent, viridarium in impluvio habebant, et saepe pro hortis silvas intra domus alebant. v. Cornel. Attic. XIII. et Obbarium ad Hor. Epist. I, X, 22. — *sacros imitantia lucos.* differunt enim *nemora* et *luci.* v. p. 175 sq. — *aurataeque trabes.* Horat. carm. II, XVIII, 1. *Non ebur neque aureum mea renidet in domo lacunar.* — *marmoreum solum.* aut solido marmore, aut opere musivo.

Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat?
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est; falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque levantur;
Nam Fortuna sua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera;
At sine te, regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversa non meus aure deus:

---

v. 17. Non solum margaritae, sed et ipsae conchae in pretio erant. cf. Suet. Ner. 31. — v. 20. *invidia*. v. p. 60.

v. 21. *mentes curaeque levantur*. Zeugma notavit Heynius, „aliter enim animus, aliter cura levari dicitur.“ Idem comparavit Ovid. Met. X, 368. *curasque et pectora somnus Solverat*. Alia zeugmata attulit Wund. Virg. Aen. I, 259. *Vultu, quo coelum tempestatesque serenat*. Hor. carm. III, III, 33. *iras et invisum nepotem redonabo*, etc. — Sententia haec est: Non magnae opes, quarum non certa est possessio, homines reddunt beatos. Omnibus spoliaberis quum Fortunae libuerit, quae, ut Horatius ait, *praesens est superbos vertere funeribus triumphos*.

v. 28. *aversa aure*, inimica, irata. Virg. Aen. I, 482.

Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

cf. p. 23. ubi recte Heinsium scripsisse *aversos* etiamnum iudico, intercedente licet Huschkio ad Tib. III, V, 14. Nam hic vir, quem magni caeteroquin facio et in eruditissimis habeo, hic certe ridiculo usus est argumento, dum ineptam Heinsii scripturam inde declarat, quod *immobiles* fuerint Penates, ante quos postrata illa verba effuderit. At, puto, Phidyles Penates (Horat. III, XXIII, 19.) mobiles erant! — *non meus*, adversus mihi. Virg. Aen. II, 396.

Vadimus immixti Danais haud numine nostro.

Horat. Epod. IX, 30. *Ventis iturus non suis.*

Nec me regna iuvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec, quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant; liceat mihi, paupere cultu,
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas, concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristesque Sorores,
Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt,
Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Lib. III. Eleg. V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,

---

v. 29. *Lydius aurifer amnis.* Πακτωλὸς εὔχρυσος. Soph. Phil. v. 390. celeber fluvius, qui Lydiam *irrigat auro.* Virg. Aen. X, 142. cf. Ovid. Met. XI, 142.

v. 38. *Dives in ignava Orcus aqua.* Orcus est Deus inferorum, Pluto, v. Cic. N. D. III, 17. qui ditissimus est deorum, quippe possidens quidquid in terrae gremio latet. *in ignava aqua* dicitur esse, quatenus Stygiis stagnis circumdatur eius regnum.

v. 1. Scripta est haec elegia Lygdami nomine ad amicos in Etruriae thermis versantes, dum ipse ex febri graviter laborans incertus paene suae salutis erat. Preces igitur diis fundit, ut sibi parcant, qui nullo scelere commeruerit, ut prima in iuventute vitam ponat. Denique hortatur amicos, ut sui sint memores et pro salute sua diis inferis sacra vovent. — v. 2. *sub aestivum non adeunda Canem.* thermas significat, a quibus per aestum canicularium recedendum sit.

v. 3. *sacris Baiarum maxima lymphis.* Baias non solum dici celeberrimas illas Campaniae thermas, sed omnia *θερμὰ*

Cum se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam;
Immerito iuveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi, nulli temeranda virorum
Audax, laudandae sacra docere Deae,
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit;
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum;
Nec nos, insanae meditantes iurgia linguae,
Impia in adversos solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos;

ὕδατα, olim iam Scaligerus monuit. Iunge autem: *unda maxima sacris lymphis Baiarum*. i. celeberrima propter aquarum salubrem vim. — v. 4. *remittit se humus*, solvitur bruma. Lucan. I, 17. *bruma rigens, ac nescia vere remitti.* Virg. Georg. I, 43.

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit.

et ib. II, 330. *Zephyri tepentibus auris laxant arva sinus.* — *purpureum ver* ut Virg. Ecl. IX, 40. est pulchrum. — Ad v. 6. comp. dicta ad Ovid. Trist. I, II, 2. et Tib. I, III, 51.

v. 8. *laudandae sacra Deae* sunt sacra Bonae Deae, ad quae viris accedere non licebat. Pro *virorum* in codd. est *deorum*. Huschk. ex Excerptt. Colotii posuit: *piorum* intelligens initiatos, ita ut *temerare sacra* sit arcana vulgare. Hinc idem *laudandam Deam*, σεμνὴν θεὰν Cererem putat esse, in cuius sacris quam occultae fuerint caeremoniae notum est. v. Cic. Verr. V, 72. Horat. carm. III, II, 25.

v. 12. *facta nefanda* probabiliter Wunderl. interpretatur impetus grassatorum et latronum, ut in loco Catulli XXIII, 10. *Non facta impia, non dolos veneni.* Nihilominus fore puto, quibus displiceat haec verborum ambiguitas.

v. 15. *cani nigros laesere capillos.* Nondum, ait, cani capilli mixti nigris variavere comam, violavere antiquum colorem.

Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis,

---

v. 16. *tardo pede* dicitur senectus, quia tardos reddit homines.

v. 18. *Quum cecidit fato* etc. Vidimus hunc integrum versum legi in vita Ovidii Trist. IV, X, 5. nec dubitare licet, quin hic vere illius poëtae natalis sit annus. Quare quum mirum hoc ipsum videri debeat, eundem versum iisdem verbis ab utroque poëta scriptum esse, antiquitus interpolationis suspicio orta est, et inquirentibus multae sese obtulerunt causae, quibus hunc Tibulli versum esse posse negarent. Copiose hac de re egit Spohnius in libello de Albii Tibulli vita et carminibus. P. I. p. 9-32. quem non poenitebit adiisse. Praecipua igitur argumenta haec sunt: Tibullus si illo anno natus fuisset, quatuordecim annorum iuvenis in bello Aquitanico militasset et quidem, ut ipse ait Lib. I, VII, 9. non sine gloria. Deinde scimus ex Ovidii carmine laudato (v. 53 sq.), hunc Propertio, Propertium Tibullo fuisse minorem. Denique Ovidius Trist. II, 464. testatur, Tibulli carmina iam tum nota fuisse, quum Augustus Princeps salutaretur. Quod quum factum sit a. U. 727. Tibullus, anno 711 natus, nondum posita praetexta carminibus gloriam sibi comparasset. His leviora quaedam accedunt argumenta, omnesque denique in eo convenerunt, Tibullum hoc anno natum non esse. Qua in re quum pulchre consentirent, alii tamen aliter rem expedire conati sunt. Atque ii quidem, qui non Tibullum sed Lygdamum huius carminis auctorem fecerunt, non poterant offendere in hoc versu, sed argumento potius eum habuerunt ad iudicium suum firmandum. E reliquis pars versum ex Ovidio inculcatum statuerunt, pars emendatione, sed ea pessima, loco succurrere ausi sunt. Spohnius maiorem carminis partem v. 15-20. spuriam et a Pontani Seneccaeve manu profectam putat. cuius tamen rationes non possum probare, sed eorum potius sententiam amplector, quibus lacuna videtur esse male expleta versu Ovidiano.

v. 19. *Quid fraudare iuvat* etc. Quid immaturo gaudetis funere?

Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis,
  Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
  Lethaeamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
  Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
  Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
  Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
  Sive erimus, seu nos Fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
  Et nivei lactis pocula mixta mero.

---

v. 24. *Cimmerii lacus* hic pro Stygiis poni videntur; nam in Cimmeriorum regione descensus erat in Orcum.

v. 30. *facilis unda pellitur manu.* Facilis, quia cedit pellentibus, i. natantibus. lib. I, IV, 12. (not. H.)

Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

Auson. Mosellae v. 344.

— — — *mox amne refotos*
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.

v. 33. Interea vos diis inferis vovete victimas pro salute amici.

Lib. IV. Carm. II.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis;
Spectatum e coelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu comsit, comtis est veneranda comis.

Quae hoc libro continentur carmina, iure ab omnibus dulcissima et venustissima praedicantur, et inter pretiosissimas antiquitatis reliquias habentur, ut Tibullum graviter indignatum esse arbitrer, quum sua sibi eripi temeritate editorum videret. Etenim Heynius, cui tamen alii praeiverant, Sulpiciae et aliorum haec elegidia esse statuit, sed paucos nactus est qui adsentirent, et hodie vix quisquam est, qui huic iudicio faveat. vid. Voss. praef. vers. germ. p. XXV sq. Spohn, p. 3 sq. — Agitur autem in his carminibus, quae epistolarum fere speciem referunt, de amoribus Sulpiciae et Cerinthi. Epistolarum nomen iis restituit Vossius.

v. 1. Sulpiciam Kalendas Martias celebrantem, et tam cultu quam sua pulchritudine admirabilem, veneratur Cerinthus. — De Kalendis Martiis, uxoribus et puellis sacris v. III, 1.

v. 3. *Hoc Venus ignoscet.* Non tam invida erit Venus, ut propter sui amorem tantae pulchritudinis adspectum tibi neget. Cave tamen, ne tibi summa admiratione perculso arma turpiter excidant. Ad priorem versum comparatus est Prop. II, XXVIII, 33.

Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno.

v. 5–12. Ea meae puellae est venustas, ut quocunque procedat habitu, pulcherrima videatur. — *Illius ex oculis — Amor,* Sophoclis locum apud Athenaeum XIII, p. 564. commemoravit Huschkius. Ibi Hippodamia Pelopem mirata:

Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
  Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo,
  Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratae dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de litore conchas
  Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
  Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solenne sacrum multos celebretur in annos;
  Dignior est vestro nulla puella choro.

τοιάνδ' ἐν ὄψει ἴϋγγα θηρατηρίαν
"Ερωτος, ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων, ἔχει·
ἐνθάλπεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτᾷ δέ με.

cf. Plaut. Bacch. IV, 9, 15. — Hic tamen non *ὀμμάτων ἀστραπῇ exuruntur* dii, sed facibus Amoris accensis ex oculis Sulpiciae. — *componit furtim decor.* cf. v. 8. *componere* est ornare.

v. 15. 16. *cui mollia — Tyros.* Lana bis murice tincta ut pretiosior et minus laeti coloris praecipue quaerebatur. Audi editores Winkelm. tom. V. p. 320. Der köstliche Tyrische Purpur, welcher aus dem in einer weissen Schlundader enthaltenen Safte verschiedener Tyrischer Meerschnecken bereitet ward, verdrängte kurz vor Augustus in Rom den violfarbenen und rothen Purpur von Tarent. Er glänzte, zweimal gefärbt (dibaphos), am schönsten in der Farbe des geronnenen Blutes, dunkelnd im Ansehen, aber schimmernd im Aufsehen.

v. 17-20. Sola digna est cui Arabum mittantur odores et quas Indi legant gemmas et unionum conchas. — *odoratae segetis.* v. p. 205. — *rubro de litore.* quia proximus est Eois equis, ut saepius iam monitum est. — v. 24. recte videtur Heynius interpretari: nulla est dignior quae vestro carmine celebretur.

Lib. IV. Eleg. IV.

Huc ades, et tenerae morbos expelle puellae,
  Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera, nec te iam, Phoebe, pigebit
  Formosae medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
  Neu notet informis candida membra color;
Et quodcumque mali est, et quidquid triste timemus,
  In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras quicumque sapores,
  Quicumque et cantus corpora fessa levant;
Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae,
  Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet; interdum, quod langueat illa,
  Dicit in aeternos aspera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe; Deus non laedit amantes.
  Tu modo semper ama, salva puella tibi est.
Nil opus est fletu; lacrimis erit aptius uti,

---

v. 1. Aegrotante Sulpicia Apollinem implorat poëta, ut ipse arte sua ei succurrat, et Cerinthi corda metu liberet. — v. 3. Heynius male, *nec pigebit* putat esse pro: nec pigeat. Recte Vossius: nicht soll dich's reuen, quia scilicet *formosissima* est.

v. 7. *in pelagus devehat amnis.* Pertinet hoc ad superstitionem Romanorum, qui morbos piari posse putabant purgamentis in mare vel flumen deportatis. cf. Virg. Ecl. VIII, 101. Theocr. XXIV, 92 sq. — v. 9. *sapores* sunt succi herbarum salutares. alii legunt sopores. Versu 10. *cantus* sunt carmina sacra, sive voces sacrae.

v. 11. *metuit qui fata puellae.* i. e. mortem, ut saepe.

Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est; te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.
Phoebe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.
Iam celeber, iam laetus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

---

v. 18. *si quando tristior tibi fuerit.* si quando minus te amet, irata tibi sit.

v. 20. *credula turba.* sc. amatorum, qui frustra se amari sperant.

SELECTAE
SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIAE.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Lib. I. Eleg. VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus.

---

v. 1. Ponticum, quem sibi maius sumsisse argumentum, et de fratrum Thebanorum bello carmen epicum condidisse vidimus ad Ovid. Trist. IV, X, 47. monet Propertius, ne sua tamen carmina, leviora licet, suumque in canendis amoribus studium contemnat. Fore enim, ut si tactus fuerit aliquo amore myrto laurum mutare cupiat. Imitatus est Propertium Ovidius, Macro scribens Amor. II, XVIII.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque iuratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra:
Et tener ausuros grandia frangit Amor.

Viam praeiverat Anacreon c. XVI. σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης. — *dicuntur Thebae.* carmine celebrantur. Virg. Ecl. III, 6. *Cui non dictus Hylas.* Horat. carm. I, VII, 9. *Plurimus in Iunonis honorem Aptum* dicit *equis Argos.* cf. eiusd. I, VI, 5. Ovid. Met. I, I. — v. 2. *tristia arma:* στυγερά. cf. Sophocl. Antig. v. 144 sqq.

v. 3. *ita sim felix.* formula asseverantis est, idemque vult, quod Ita me dii ament, Ita vivam. Hom. Hymn. in Merc. v. 379. ὣς ὄλβιος εἴην. — *primo Homero.* poëtarum longe praestantissimo. Hor. carm. IV, IX, 5. *priores Maeonius tenet sedes Homerus.* — v. 4. *mollia fata* sunt aequa; dicit enim aeternam Pontico nec minorem, quam Homero, fore famam, modo fata eius libros superstites esse voluerint, aut: si satis tibi otii dederint ad ea perficienda.

Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam:
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice, et iniustas saepe tulisse minas.
Me legat assidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evoluisse Deos:
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda iacere situ:
Et frustra cupies mollem componere versum,

---

v. 5. *nostros agitamus amores.* Occupatus sum in amoribus meis. Hor. Sat. II, VI, 73.

— — quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: *utrumne*
Divitiis homines, an sint virtute beati.

v. 6. *quaerimus.* meditamur carmen in dominam. vv. seqq. sensus est: Nec tamen *ingenio* impellor ad versus faciendos, sed *dolor* meorum carminum est auctor. Hic me duritiem Cynthiae queri cogit, et elegis gloriam poëticam quaerere.

v. 16. *nostros evoluisse deos.* Nostros deos voluit esse Venerem et Amorem, qui Parcarum vice *volvere* sive *evolvere* fata amatorum dicantur. Quod ut non absurdum, ita tamen novum dicam. Caeterum id dubium non est Propertium dicere; Ich will dir es nicht wünschen. Quare non opus est Lachmanni emendatione, *Quod nolis.*

v. 18. *Surda* dicuntur non solum quae non audiunt, sed etiam, quae non sonant, ut IV, V, 56. *surda lyra.* Iuven. Sat. VII, 71. *surda buccina.* Sat. XIII, 194. *surdo verbere caedere de tacito* tormento mentis diri facti consciae. Haec Broukh. Nec minore iure hoc fit, quam quo dicimus caeca, quae non videntur.

Nec tibi subiiciet carmina serus Amor;
Tunc me non humilem mirabere saepe poëtam;
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis:
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poëta, iaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu,
Saepe venit magno foenore tardus Amor.

Lib. I. Eleg. VI.

Non ego nunc Adriae vereor mare noscere tecum
Tulle, neque Aegeo ducere vela salo;
Cum quo Riphaeos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces:
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi se iam denegat: illa minatur,
Quae solet ingrato tristis amica viro,
His ego non horam possum durare querelis.

---

v. 24. *iaces.* v. quae dixi ad Ovid. Amor. II, VI, 20. Barthius comp. Theocr. XXIII, 44.

Κἢν ἀπίῃς τόδε μοι τρὶς ἐπαΰσον, ὦ φίλε, κεῖσαι.

v. 1. Tullo in Asiam profecturo, et Propertium itineris socium esse cupienti, scribit hic, non se metu quidem retineri, sed puellae precibus et lacrimis. Ergo fere ut Tibullus (I, 1.) mollis et ingloriae vitae studium profitetur.

v. 3. Vellem, pro meo in te amore, tecum Rhipaeas arduas arces scandere, sive loca septemtrionibus subiecta, vellem etiam Memnonis in adversa parte regiam sub sole rubente positam adire. Memnonis regiam Aethiopicam dici a poëta probabiliter contendit Salmasius, Exerc. Plin. p. 612.

Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, et insanis ora notet manibus?
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,

---

v. 13. 14. *doctas cognoscere Athenas — Asiae divitias.* vid. ad Ovid. Trist. I, II, 77. — *veteres divitias,* urbes vetustissimas et magnificis priorum temporum operibus ornatas.

v. 17. Locum hunc difficiliorem post veterum editorum errores Fonteinius et Huschkius emendatione aggressi sunt, *vento* mutantes in *ponto.* A quibus recte discessit Lachmannus, ipse tamen pro *opposito* scribens *ut posito. Poni* enim (ponere) et *sterni* (Hor. I, IX.) dicuntur venti, quum remittunt. Verum Cynthiae minus id optandum erat, ut nulli, quam ut adversi spirarent viro amato venti; et quamquam non nego verum esse, quod illi dicunt: nullo indicio constare, veteres nudum epitheton *oppositus* pro votis alicuius contrarius unquam adhibuisse, nullus tamen dubito, quin recte dicantur venti ex adverso spirantes *opponi* navi exiturae. Quod si admittas et opposito vento ablativos esse putes, haud scio an aptissimum huic loco habebis sensum. Ventos, clamat, opportuit tibi opponi, ne navis tua exiret, mihi enim tu et amor tuus debemini. Eadem scribit iisdem fere verbis Laodamia Protesilao Ovid. Heroid. XIII, 3–6.

Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant *vestris* obsistere *remis,*
Illud erat saevis utile tempus aquis.

Unde patet, si legeretur e Mss. *opposito ponto,* hos etiam ablativos fore.

v. 19. Te decet operam dare, ut familiae tuae honores augeas. Nimirum Tullus hic L. Volcatii Tulli filius expeditionem secutus videtur, cui Augustus Asiae provincias post pugnam Actiacam se-

Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non aetas unquam cessavit Amori;
Semper at armatae cura fuit patriae:
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
Adferat, et lacrimis ultima vota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.

---

dare mandaverat, cf. Barth. in vita Prop. p. LXXX. Hinc facile intelligitur, recte scribi *iura refer sociis*, pro quibus alii legi voluerunt *iura referre foris*. — v. 20. *obliti socii* sunt Asiae populi, qui in Romanorum societate erant, et inter bellorum civilium tumultus neglecti, Romanorum imperio sese subducere hic illic tentaverant.

v. 22. *armatae cura fuit patriae*, i. armis tuendae.

v. 23. *Et tibi non unquam — Adferat.* Et est tibi id ingenium, ut nunquam te putem cruciatum iri ab Amore, qui mihi tot malorum est causa. Sed sequamur verba, quorum scriptura haec olim erat: *et lacrimis omnia nota meis.* ubi quum *omnia* admodum ineleganter ponatur, Broukhusius alius cod. scripturam: *ultima vota* dedit, mortem significari putans, „quae sit linea postrema omnium votorum." Sed ne tum quidem aptam habes et elegantem sententiam, quae Propertium deceat. Quare Lachmannus ex ambabus scripturis dedit: *ultima nota:* atque hanc scripturam unice veram habeo. *Ultima* sunt summa mala, ut saepe dicitur *ultima* pati, τὰ ἔσχατα. Tu si exempla huius usus desideras, adi ipsam huius viri adnotationem.

v. 25. *quem semper voluit Fortuna iacere.* qui humilis semper et inglorius vixi. — v. 26. *extremae nequitiae.* quum ad finem usque molli inertia inter amores vitam transegero, (cf. I, XVII, 20.) Adscribar eorum numero, quos variae perpetui amoris curae et dolores absumsere. Ad v. 30. cf. Ovid. Amor. I, IX, 1.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,
  Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
  Lydia Pactoli tinguit arata liquor;
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
  Ibis, et accepti pars eris imperii.
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
  Vivere me duro sidere certus eris.

Lib. I. Eleg. VIII.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelida vilior Illyria?

---

v. 34. *accepti pars eris imperii.* Acceptum imperium quid sit, cui acceptum, et a quo? difficile dictu est. Barthius missum censet, qui populis illis iura daret, cuius in cohorte quum fuerit Tullus, recte eum imperii partem dici. Sed recte monuit Lachmannus: Hic ipse vir consularis nominandus haud dubie poëtae erat, nisi inepte volebat loqui. Quare legendum coniecit: aere erit. Mihi priore correctione ne opus quidem esse videtur; nam recte etiam dici puto: pars erit accepti imp. pro in partem venies imperii.

v. 1. Quod sese facturum superiore carmine negaverat, accidit ut idem Cynthia instituerit facere, Illyriam navi petere parans. Gravi igitur dolore commotus poëta dehortatur eam, tam maritimi itineris molestias, quam suas curas ei ob oculos ponens. Si tamen certa steterit sententia, tranquillum ei optat, quocunque pervenerit, aequor. Deinde a v. 27. subito, ne[illegible]licam abrupte, victam suis precibus Cynthiam magno cum gaudio narrat, quare Lipsius et qui eum secutus est Lachmannus novam hinc elegiam inchoant. A quibus ut non dissentio, hic tamen parum interesse putabam, utrum separarentur, nec ne. — Ad argumentum cf. Ovid. Amor. II, XI. Her. [illegible] III, XXVII.

Et tibi iam tanti, quicunque est iste, videtur,
  Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti?
  Fortis, et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis;
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
  Neve inimica meas elevet aura preces:

---

v. 3. *quicunque est iste.* Eundem videtur significare Praetorem, quem ex Illyria reversum et sibi rivalem esse queritur II, XVI.

v. 7. *pedibus positas fulcire pruinas. Poni* dicuntur pruina et nix, quum decidunt in terram. Horat. carm. III, X, 7. *positas ut glaciet nives puro numine Iupiter.* Ovid. Fast. II, 72. *posita sub nive terra latet.* et ib. VI, 200.

Factaque erit posito rore *bis uda seges.*

Fulcire autem pedibus pruinas vix aliter explicari potest, quam fecit Gronov. ad Stat. c. LV. nimirum detergere herbis, et superiectas habere pedibus. Hoc tamen dicendi genus parum simplex vocari debet.

v. 10. *tardis Vergiliis.* Vergiliae sunt Pleiades, ita dictae quia vere oriuntur. Sensus: Utinam lateant per duplex spatium Pleiades, i. multo lentius appropinquet ver, ut nauta portu exire prohibeatur. — v. 11. *Tyrrhena arena* est Latium litus, Ostia. *Arena* de litore frequens est. Virg. Aen. I, 540. *hospitio prohibemur arenae.* v. 172.

Egressi optata potiuntur Troes arena.

lib. V, 871.

Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena.

VI, 316.

Aut alios longe submotos arcet arena (Charon).

Burm. dedit *in oras.* — v. 12. *elevare* est irritum facere.

Et me defixum vacua patiatur in ora,
Crudelem infesta saepe vocare manu.
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi profectas auferet unda rates,

---

v. 13-16. Misera excidit huic loco sors, qui editorum curis tam male est habitus, ut iam nemo sit, qui aliquam non ineptam sententiam inde excutere valeat. Non enim satis possum mirari vv. dd. et in his Lachmannum, qui vv. 15. 16. eam putent esse sententiam, ut optet Propertius, si se invito profecta fuerit Cynthia, hiemales illos ventos tum etiam non desinere spirare, quo praemia ferat suae perfidiae. Qui, obsecro, est iste amator, qui iratus puellae, se invito iter facienti, naufragam esse vult? — At enim prima mali causa Scaligerus fuit, qui transpositis versibus toti loco caliginem induxit. Legebatur enim olim sic:

Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
Neve inimica meas elevet aura preces:
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua patiatur in ora,
Crudelem infesta saepe vocare manu.

Genuina haec lectio et sententiarum ordo hic est: Te, quum proficisci constitueris, retineant velim venti adversi. Utinam infaustum nunquam diem adspiciam, quo subsidant hiemales venti et tuam ratem auferent undae. Fefellit igitur omnes verba, *Quum auferet* esse dicta pro: Quo tibi copia fiat; quo tempore profectura es. Quae si tibi durior videatur verborum structura, non negabis tamen, paullo immutata sententia, recte dici: Utinam nunquam tempora videam tranquilliora, quum te auferet. Cic. Att. III, 3. *Utinam illum diem videam*, quum *tibi agam gratias.* Hoc poëta expressit ita: Utinam nunquam ventos positos videam, quo tempore tu abitura es. Quare neque emendatione, nec transpositione opus est. — Iam vero quaeritur, an recte dicatur vel unda, vel Cynthia (legitur enim etiam: *patiaris*) pati deserto in litore Propertium plorare; Lachmannus enim dicendum fuisse *cogat* vel *cogas.* Cui respondeam uno loco Cic. Offic. I, 9. *Praetermittendae autem defensionis deserendique*

Sed, quocumque modo de me periura mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae:
Ut te felici praevecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, vita, tuo limine vera querar.

---

officii plures esse solent causae. Nam aut inimicitias, aut laborem, aut sumtus suscipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia; aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. i. deserant. Ibi pariter ut nostro loco *pati* totum est Graecorum τλῆμι, quod addita praesertim negatione significat fere *velle*. Soph. Ai. 1305.

> *ἄκουέ νυν. τὸν ἄνδρα τόνδε, πρὸς θεῶν,*
> *μὴ τλῆς ἄθαπτον ὧδ' ἀναλγήτως βαλεῖν.*

saepius etiam *posse*, eo quidem sensu quo infra scribit Prop. (I, XVII, 1.) *potui fugisse puellam.* In hunc fere modum, sed insolentius etiam dixit Terentius, Heaut. IV, V, 13. *Non possum* pati, *quin tibi caput demulceam.*

v. 17. Id tamen nolim, ut tibi quantumvis periturae, si tamen iter ingressa fueris, quidquam in mari periculi minetur. cf. Hor. III, XXVII, 1-16. Ovid. Amor. II, XI, 33. qui versum minorem iisdem fere verbis eo transtulit.

v. 19. 20. *Ut te — praevecta Ceraunia — accipiat.* Obscurus itidem locus, in quo Barthius *praevecta* Vocativum putat esse, comparans XI, 9. Tib. I, VII, 53. Pers. III, 28. Adde Valer. Fl. I, 392.

> *Tu quoque Phrixeos remo, Poeantie, Colchos*
> *Bis Lemnon visure petis.*

Sunt tamen haec paullo diversi generis. Lachm. correxit: *Vitae felici.* Tum vero ineleganter et hic versus superiori, et nostro subiicitur v. 20. — *placidis Oricos aequoribus.* Orici, Epiri urbis, portus.

v. 21. 22. Me enim nullius puellae amor a te abstrahet, sed te absente in tuo limine querar. Haec certe sententia desideratur;

Nec me deficiet, nautas rogitare citatos:
  Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
  Et licet Eleis, illa futura mea est.
Hic erit: hic iurata manet. rumpantur iniqui.
  Vicimus. assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
  Destitit ire novas Cynthia nostra vias:
Illi carus ego, et per me carissima Roma
  Dicitur: et sine me dulcia regna negat:
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
  Et quocunque modo maluit essa mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
  Et quas Elis opes ante pararat equis:
Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,
  Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.

---

sed in Mss. est: *verba querat*, unde probabiliter Lachmannus emendavit: *fida verba querat.* — v. 23. *nautae citati* sunt vocati ad se. cf. Ovid. Trist. III, XII.

v. 27. *rumpantur iniqui.* Graviter doleant meo gaudio homines malevoli. Notum illud Virgilii, Ecl. VII, 26. *invidia rumpantur ut ilia Codro.* cui ortum debet lusus Martialis l. IX. ep. 99.

v. 32. *dulcia regna negat.* sc. esse, negat sibi tanti esse regna quam meum amorem. Maluit esse mea, quam ditissima conditione uti, nempe quum Praetor eam abducturus, multa et daret, multa daturum se polliceretur. Elidis autem mentionem non temere factam puto, sed eo divitem illum, quasi in regna sua, ducturum fuisse Cynthiam.

v. 39. *Indis conchis.* v. Tib. IV, II, 19. Non sibi divitias fuisse

Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

Lib. I. Eleg. XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam;

---

aït, quibus caperet et retineret Cynthiam, sed suo ingenio se usum esse. — v. 42. *Cynthia rara.* i. pulchra, praestans. infr. XVII, 16.

Quamvis dura, tamen rara *puella fuit.*

Ovid. Met. XIV, 337.

Rara *quidem facie, sed* rarior *arte canendi.*

v. 46. *meam norit gloria canitiem.* Ad extrema vitae meae tempora haec duret gloria.

v. 1. Simile haec habet argumentum Ovidianae Trist. I, II. nisi quod Propertius puellam, Ovidius patriam fugit. Fingit enim Noster, ut Ovidius, scriptam elegiam in media navigatione, tempestate coorta, et quantum poeniteat se suscepti itineris profitetur. Quo tenderit Propertius quaesitum est, et an scripta sit in itinere Athenas facto (Lib. III, XXI.). Nostra hoc parum interest. — Nota in hoc carmine elegans principium, quo in medias res lector abripitur. — *fugisse* v. p. 248. — *desertas Alcyonas.* quia deserta habitant loca. cf. p. 188.

v. 3. *Cassiope visura carinam.* Non sidus Cassiopeae sed portum Corcyrae sive Epiri intelligendum, probabile est. Sed quo iure addatur *solito*, quum Propertium frequenter navigasse, neque traditum nobis sit, neque verisimile, haud facile dicam. Lachmannus ad sensum optime, sed ut solet immodestius emendavit *Cassiopes statio.*

Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti,
Adspice quam saevas increpat aura minas.
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas,
Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit levius dominae pervincere mores?

---

v. 4. *vota cadunt.* Recte interpres Germanicus vulgarem interpretationem deserens vertit: Zum undankbaren Strand fliehn die Gelübde dahin. cf. ad Tib. p. 233. — v. 5. *prosunt tibi venti.* Cynthiae diris, quibus se prosecuta sit, tempestatem tribuit, cui audientes sint venti etiam absenti: hinc intelligitur, quae sint v. 9. *saevae querelae.* — v. 6. *increpat.* cf. I, II, 9. Ovid. Heroid. X, 86.

v. 11. *mea fata reponere.* Ineptum est, quod tamen editores fecerunt, fata, i. mortem, pro mortuo homine capere, quem *reponat*, in sepulcro condat Cynthia. Neque vero sperat Propertius sibi funeris honorem; sed utut singula verba interpretemur, sensus hic esse debet: Parce tandem imprecationibus, et metu meo satis me tibi poenae dedisse velis. An mortem meam tam aequo animo feres, neque dolebis, ne ossa quidem tibi mea superesse, quum fluctibus obrutus fuero? O quam stulte egi, qui Romam reliquerim! Ibi si fato occidissem, tamen funus meum curasset Cynthia. — Sed huic planissimae, et verissimae, puto, interpretationi repugnare videtur scriptura *fata reponere*, quare vide an praestet cod. Posthiani scriptura (licet Barthio inepta visa): *opponere.* Cic. Quint. c. XIV, *adhibenda vis est veritati: minae iactentur: pericula intendantur: formidines* opponantur, *ut iis rebus aliquando victus et perterritus ipse cedat.*

(Quamvis dura, tamen rara puella fuit.)
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Tum mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro.

---

v. 18. *quaerere Tyndaridas.* circumspicere sidera Ledae. vid. p. 163.

v. 19 – 24. Tum caris amicae manibus compositus essem. *ultimus lapis* est Tibulli marmorea domus. — *posito amore.* finitis amoribus. v. I, VI, 26. — *donasset crines.* notus mos inde ab Homeri temporibus. cf. Iliad. XXIII, 141 – 153. ubi Achilles in Patrocli funere

στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην.

et allocutus Spercheum fluvium, cui pro felici reditu comam voverat, *νῦν δὲ*, ait,

νῦν δ' ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.
Ὣς εἰπὼν, ἐν χερσὶ κόμην ἑτάροιο φίλοιο
θῆκεν· τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο.

Est tamen alia etiam Nostrum explicandi ratio, quam equidem hic praeferrem, eamque tetigi ad Tib. I, III, 7. Neque te perlectis Statii locis dubitaturum puto, quin *crines* hic Propertii intelligi debeant in ipsius funere unguentis perfusos. — *poneret ossa rosa.* Loco quo ponerentur, et ipsa arca sparsis multa rosa. — *extremo pulvere.* me in cineres verso. in fine solemnitatis dixisset novissima verba: Sit tibi terra levis. Quare legendum cum omnibus fere Mss. *Ut mihi.*

v. 25. Sequuntur preces Diis marinis pro salute sua factae. — v. 26. *felici choro.* pro felicem vester chorus meae navi det cursum.

Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

Lib. I. Eleg. XVIII.

Haec certe deserta loca, et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,

---

v. 27. 28. Recte Barthius: „Si unquam et vos amastis, mei quoque amantis, adeoque socii vestri vos misereri aequum est."

v. 1. Suavissimo hoc carmine silvis saxisque queritur, quantos ob Cynthiae superbiam patiatur dolores, quum tamen summa in eam sit fide, et quidquid illa duri imperet, facili ad omnia animo perferat. Fingit autem poëta se tandem fida invenisse loca, quibus curas suas committere possit *impune*, i. ut nulli mortalium innotescant querelae, neque inde fabula fiat.

v. 2. *vacuum possidet aura nemus.* pro per vacuum sc. hominibus nemus spirat Zephyri aura. Lucan. II, 454. *ut cum mare* possidet *Auster flatibus.* Claud. XLIV, 9.

Haec fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, solusque plaga defensus iniqua
Possidet *intactas aegris animantibus oras.*

v. 4. *Si modo* eo sensu quo vidimus dici *Si tamen.* cf. Ovid. Trist. I, VI, 18.

v. 5. 6. Quid dicam esse, quod quae nuper mitissimo in me fueris animo, superba subito facta es? *Unde primum repetam.* Virg. Aen. I, 372.

O dea si prima repetens *ab origine pergam.*

Quod flendi das principium. Quam ego huius mali causam dicam?

Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet;
Non ita saeva tamen venerit ira mea:
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrimis.

---

v. 8. *cogor habere notam.* Quemadmodum qui a Censore notabantur, movebantur Senatu etc., poeta se notam habere ait, quum motus sit et expulsus pectore Cynthiae. Dicit autem sibi hoc esse ignominiosum.

v. 10. An aliam me amare putas? *tristitiae.* v. ad Tib. IV, IV, 18.

v. 11. *Sic mihi te referas levis.* De hac formula dictum est ad Tib. II, VI, 30. — *te referas*, ad me redeas. Caeterum *levis* scripsisse Propertium, non *levem*, non miraberis, si id teneas, non dicere eum, *qualem* se referre debeat Cynthia, sed *quo modo*, nempe facile et celeriter. Pertinet igitur vocabulum non ad obiectum (te), sed ad subiectum (tu), et quem ad modum nemo miratur, tot locis adiectivum loco adverbii coniungi cum simplici verbo, nihil hic etiam locus debet habere offensae, nisi quod hic addito accusativo errori facilius locus datur. — *nostro limine* veterem Dativi formam putat esse Burmannus, sed vid. Schneid. Ausf. Gramm. Formenlehre p. 200 sqq.

v. 14. *venerit ira.* Significantius verbum ponit pro simplici esse. Tib. I, II, 78. *quum fletu nox vigilanda venit.* Virg. Georg. I, 37.

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

et paullo ante: *An venias magnus maris deus.* cf. p. 157.

v. 15. *tibi sim furor.* furoris, i. e. irae perpetuae causa.

v. 16. *deiectis lacrimis.* fusis, demissis. Sed hoc durius esse non diffiteor.

An quia parva damus mutato signa calore;
  Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
  Fagus, et Arcadio pinus amica deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
  Scribitur et vestris, CYNTHIA, corticibus!
An, tua quod peperit nobis iniuria curas,
  Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
  Iussa, neque arguto ficta dolore queri.
Pro quo divini fontes, et frigida rupes,

---

v. 17. *mutato calore.* Sunt qui legant e Mss. *colore*, quia mutatus saepe color amoris indicium sit. cf. Hor. carm. I, XIII, 5-8.

Tunc nec mens mihi, *nec* color
Certa sede manet: humor et in genas
Furtim labitur, arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Sed nihilominus cum Lachmanno retinendam vulgatam puto.

v. 18. *clamat in ore fides.* crebro me fidum iacto.

v. 20. *Arcadio pinus amata deo.* Fabulam an respexerit Propertius, qua Pitya amasse Pana et in pinum (πίτυν) mutata dicitur, dubito, etiam propter societatem fagi. Nempe pinus Pani sacra erat.

v. 21. *tenerae umbrae* sunt tenerae frondes, quae locum opacant; quare frustra quidem transponunt epitheta, scribentes: *Vestras umbras — teneris corticibus.*

v. 23. An irata propterea es, quod putas me iniurias tuas aegre ferre? At scis, quam patienter feram, quidquid imponas, nec nisi tacitis me queri foribus. — v. 26. *arguto ficta dolore queri.* lege cum Lachmanno, quod omnes fere habent codd. *facta.* i. iniurias.

v. 27. *divini fontes.* Quum epitheton *divini* in commemora-

Et datur inculto tramite dura quies,
Et quodcunque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscunque es, resonant mihi Cynthia silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa tacent.

Lib. II. Eleg. X.

Iam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aemonio iam dare tempus equo.

---

tione asperrimarum rerum non aptum videretur, neque si compellationem hanc fontium esse velis, ratio reddi possit, cur hos potissimum invocet, variis coniecturis locum emendare sunt conati, inter quas tres videntur memorabiles: Scaligeri: *Di, vivi fontes.* Marklandi: *Di, nudi montes.* Lachm.: *Di, nivei montes.* Equidem, dum meliora proferantur, acquiesco in vulgata *divini* i. sacri; quod perpetuum fontium epitheton qui improbet hic addi, doceat me velim, quo maiore iure vocentur aves *argutae.* cf. I, XIIII, 65. — v. 32. *tacent* est coniectura Broukh. Tu lege cum MSS. *vacent.*

v. 1. Imbellem lyram iamiam se mutaturum fortiori, et pro levibus elegis cantaturum Caesaris laudes splendidis versibus pollicetur. Scripta videtur non post reddita a Parthis Crassiani exercitus signa, sed a. U. IↃCCXXX, quo Orientem, praecipue Arabiam, domare Augustus moliebatur. Quae expeditio quum male cessisset, vix eius meminisset Propertius v. 16. si serius scriptum esset carmen. Ergo non perdomitas cantat gentes, sed triumphatum iri a Caesare de iis vaticinatur. — *aliis lustrare Helicona choreis:* ad aliud poëseos genus me convertere. Carmina autem edendo, quasi choreas per Heliconem ducit; quae redit imago II, XXXIV, 42.

Desine Achilleo componere verba cothurno,
Desine, et ad molles *membra resolve* choros.

Etenim iungebantur saltationibus veterum cantus. Plat. Leg. II. p. 327. *χορεία γε μὲν ὄρχησίς τε καὶ ᾠδὴ ξύνολόν ἐστι.*

v. 2. *campum dare*, quo decurrat. Metaphora ducta a ludis

Iam libet et fortes memorare ad proelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit. in magnis et voluisse sat est.
Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili iam carmine. Sumite vires
Pierides. magni nunc erat oris opus.

---

equestribus. vid. Virg. Georg. III, 103 sqq. Noti Iuvenalis versus Sat. I, 19.

Cur tamen hoc *potius libeat* decurrere campo,
Per quem magnus equos *Auruncae* flexit *alumnus.*

Haemonius equus nominatur pro quovis praestanti. Nescio tamen an licentior, ut solent poëtae, in discernendis terris, Epiroticos intelligi velit, qui illo tempore longe praestantissimi habebantur. vid. Virg. Georg. I, 59. III, 121. Heinsius coniecit Aonio, quod probavit Lachm. sed vereor ne serioris aevi commentis debeatur.

v. 9. *Subducto vultu.* i. severo, subductis superciliis. Eurip. Alc. 782.

στυγνῷ προσώπῳ καὶ συνωφρυωμένῳ.

Nec multum aliter Hor. Epod. XIII, 5. *obducta solvatur fronte senectus.*

v. 10. *aliam citharam.* Egregie illustrant hoc illa Horatii carm. II, I, 39. 40. *Mecum Dionaeo sub antro Quaere modos leviore plectro.* et IV, II, 33. *Concines maiore poëta plectro Caesarem.*

v. 12. *magni erat oris opus. erat* pro est positum, ubi dudum facto opus erat, Hor. carm. I, XXXVII, 4. *Nunc tempus erat.* ubi Mitscherl. comparavit Senec. Med. 111. *Multifidam iam* tempus erat *succendere pinum.* et Aristoph. Eccl. 872. *ὥρα δ' ἦν πάλαι.* Sed hic alteram praestare lectionem erit, indicat Lachmannus.

Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactae te tremit Arabiae,
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar; vates tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

---

v. 13. *negat Euphrates — tueri*. Iam tutus est Euphrates a Parthorum incursionibus. Iam non belligerandum cum populo illo, fidente fuga, versisque sagittis. Virg. Georg. III, 31. — v. 14. *se tenuisse*, quandoquidem uterque Crassus interfecti sunt intra Parthiae fines.

v. 16. *intactae Arabiae*. Quam nullus huc usque hostis attigit. Hor. III, XXIV, 1. *Intactis opulentior thesauris Arabum*.

v. 21-24. Et quamquam nulla spes est, me digne tantas res tractaturum, tamen ut summis etiam Diis tura damus, pro viribus meis Augusti victorias celebrabo.

v. 25. sq. „Minores poëtae e *Permesso* hauriunt, maiores ex ipso fonte Heliconis, Aganippe.“ Barth.

Lib. II. Eleg. XII.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit, sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit et humano corde volare Deum:

---

v. 1. Lepide exponit, cur Cupido puer fingatur, isque pharetratus, alis insuper additis; quamquam harum quidem nihil in se animadverterit; perpetuo enim suum pectus Deum habitare, Et propter hoc ipsum increpat Amorem et iam alios expetendos esse, quos figat, monet. — v. 2. *miras manus.* Manibus tribuit, quod ingenio debetur. Scite enim fecisse dicit et lepide, qui ita pinxerit.

v. 3. *sine sensu*, rationis expertes, quia Bonam Mentem captivam ducit Cupido. cf. Ovid. Amor. I, II, 31.

v. 5. *ventosas alas* dicit, aut quia sunt vento celeritate pares, quemadmodum Ovidius *ventosos equos*. Fast. IV, 392. aut quia motae aëris tranquillitatem turbant, et quasi ventum excitant. — Versu insequenti magnas difficultates habent verba *humano corde*, ut, non male quis imploret Iovem: *δὸς ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι*, Barthius interpretatur: „admodum cordate ac sapienter finxit Cupidinem volare;“ ergo humano corde fuisse vult eum, qui alatum pinxerit Cupidinem, quod est tam absurdum, ut vix inveniri putes, cui placuerit. Inventus tamen est Strombeckius. Neque vero ita scribi potuit, sed dictum oportuit: *sed humano corde*, nisi vellet poëta ab omnibus referri ad superiora: *non frustra.* Qui tamen hos refutavit Kuinoehlius erravit is etiam, cum scripsit: „Immo ad Amorem referri debent, eumque divinae atque pariter humanae naturae participem significant.“ Nam duodecim priores versus ita ordinavit poëta, ut binis versibus proponeret rem illustrandam, binis deinde, cur ita fiat, doceret. Quare hoc etiam versu causa cur alae dentur Amori nulla debet indicari. Multo rectius sen-

Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago;
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat, heu nostro quoniam de pectore nunquam;
Assiduusque meo sanguine bella gerit;

---

sisse puto Stephanum illum, qui nil molitur inepte! Is igitur vertit:

Εἶτα δὲ οὐκ ἀλόγως ἀνεμώκεα οἱ πτερὰ τεῦξεν, —
Ὡς βροτέῃσι κίνεσθ᾽ ἐν κραδίῃσι Θεόν.

Quod non ita accipias, quasi dicat, in corde humano Amorem pennas agitare, sed volando et intrare, et fugere. Hinc versu 15 queritur, eum in se perpetuam fixisse sedem, neque unquam evolare. Fingi autem Amorem propterea talem, quod fluctuans sit amantium fortuna, et mobilis aura, cf. Mitscherl. ad Hor. carm. II, VIII, ult. et epigramma laudandum ad v. 14. cuius v. 3. 4. firmari hoc puto.

v. 10. *Gnosia.* i. Cretica; erant quippe Cretenses sagittarum usu celeberrimi; res nota vel ex Hom. Iliad. XXIII, 860 sqq. et quis nesciat *calami spicula Gnosii* Hor. carm. I, XV, 17. Id vero novum dixerim, quod ex utroque humero pendet pharetra.

v. 14. *pennas perdidit.* Suave est et facetum epigramma Paulli Silentiarii, quod ad hunc locum laudavit Dousa.

Μηκέτι τις πτήξειε πόθου βέλος· ἰοδόκην γὰρ
Εἰς ἐμὲ λάβρος Ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην.
Μὴ πτερύγων τρομέοι τις ἐπήλυσιν, ἐξότε γάρ μοι
Λὰξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα,
Ἀστεμφὴς, ἀδόνητος ἐνέζεται, οὐδὲ μετέστη,
Εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων.

Quid tibi iucundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno,
  Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei,
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
  Haec mea Musa levis gloria magna tua est,
Quae caput, et digitos, et lumina nigra puellae,
  Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

Lib. II. Eleg. XIII.

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
  Spicula, quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,

---

v. 20. *vapulat umbra mei*, i. cruciatur. mei dixit non mea, quia sentit nihil ex se superesse nisi tenuem umbram. cf. Ramsh. L. Gr. p. 342.

v. 1. Amore iubente se componere ait carmina, non magnae famae cupidum. Contemnere se populi favorem, dum Cynthiae placuisse dicatur. Deinde a v. 17. quomodo post fata sua componi cupiat profitetur, et hortatur Cynthiam, ut sui memor esse tum etiam velit. Quae quum prorsus aliena sint a priorum versuum argumento, recte ab aliis disiuncta sunt. Equidem Barthii recensionem secutus, ne quid turbetur ordo elegiarum, asteriscis lectorem monere praestabat. — *Achaemeniis sagittis.* Achaemeniae sunt Persicae, quae terra a regio Achaemenidarum genere Achaemenia poëtis vocatur. Sed ut parum diligentes sunt et accurati in designandis terris, saepe hoc etiam nomine utuntur pro quavis Orientis terra. Atque hic quidem non dubium est, Parthos significari, qui Persae vel Medi frequenter a poëtis vocantur. Sic Horatius quoque dixit *Achaemenium costum* carm. III, I, 44. et *Achaemenium nardum* Epod. XIII, 8. Quod recte Mitscherlichius interpretatus est *Parthicum*.

v. 3. *graciles Musae.* Intelligit eleges, quod carminis genus

Iussit et Ascraeum sic habitare nemus.
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis, ut nostro stupefiat Cynthia versu;
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
Nec si qua illustres femina iactat avos.
Me iuvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.

---

fuerunt qui contemnerent, ut leve et imbelle. Musam pro carminis argumento ipsam dici *levem*, *humilem*, *pedestrem*, *procacem*, *iocosam* notum est. Hic *gracilis* eodem sensu dicitur, quo in versibus illis Aeneidi Virgilianae praefixis *gracilis avena*, quo significantur carmina bucolica. — v. 4. *Ascraeum sic habitare nemus*. Ascraeum nemus est Heliconis umbra, Musis sacra, quam habitandam sibi sic, hac lege, dicit, ut elegias edat.

v. 5-8. Non magna mihi quaeritur carmine fama, modo Cynthiae placeam. — *Ismariam vallem* nominat, quia Orpheus Thrax erat, Ismarus autem Thraciae mons. — *stupefiat versu*. Fuerunt qui legerent *tepefiat*, sed improbati recte ab aliis. Hor. carm. II, XIII, 33. *Illis carminibus stupens demisit aures bellua centiceps*. — *Inachius* dicitur Linus, quia Argivae dicebatur esse originis, nepos scil. Crotopi regis, unde Κροτωπιάδης dicitur Callim. frgmt. 315.

v. 9. *formae honestae* i. pulchrae. Terent. Eun. I, II, 52. *forma honesta virgo*. ib. III, II, 21. *Ita me dii ament, honestus est*. Virg. Georg. II, 392.

Et quocunque deus circum caput egit honestum.

cf. Heind. ad Hor. Sat. I, II, 84.

v. 11. *in gremio*, puellae meae adsidens, legam mea carmina, atque ea iudice laudari cupiam. *Aures purae* fere sunt, quas *teretes* dicit Cic. de opt. gen. or. c. IV. i. acutas ad iudicandum de oratione quacumque.

Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula, nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.
Quandocunque igitur nostros nox claudet ocellos,
Accipe, quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

---

v. 13. *populi confusa fabula.* varii et contrarii rumores. Nihil interest mea, lauderne a multitudine an reprehendar. — *valeto.* *χαιρέτω. ἔα χαίρειν.*

v. 17. Ab hoc inde versu praecipit, quo ritu componi mortuus velit. — *nox claudet ocellos. nox* est emendatio Heinsii. Mss. omnes *mors*, quod reduxit Lachmannus.

v. 19–28. Nolo splendide efferri, ut longo ordine procedant maiorum imagines. Nec sint qui tuba canant, nec lecto eburno purpuraque reponi cupio, neque turis lances ferantur. Sufficiat pro omni pompa carminum meorum libros praeferri, et te, Cynthia, pio dolore funus sequi. — De imaginibus si tibi quaeritur, docebit te Eichstadius. — de *tuba* vidimus ad Ovid. Amor. II, VI, 6.

v. 21. *lectus*, torus in quo ponebatur mortui corpus, Eleg. XI. v. 3.

Omnia crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

fulcrum autem *eburnum* de pedibus intellige, quibus sustinebatur lectus.

v. 22. *Attalico toro.* Lectus funereus purpura plerumque sternebatur, unde Virg. Aen. VI, 220–222. *Purpureas vestes* dixit, velamina nota. Ditiores deinde utebantur *vestibus Attalicis*, i. multo auro intextis. cf. Nost. III, XVIII, 19.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
  Plebei parvae funeris exsequiae.
Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli;
  Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequare;
  Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
  Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
  Accipiat Manes parvula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
  Quae tegat exstincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: QUI NUNC IACET HORRIDA PULVIS,
  UNIUS HIC QUONDAM SERVUS AMORIS ERAT.

Attalicas *supera* vestes, *atque omnia magnis*
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.

cf. III, V, 24. Nimirum Attali inventum habebantur. — *mors mea* i. ego mortuus. Errabis tamen, si putes, eadem lege dici posse *fatum* pro cadavere. v. p. 272.

v. 25. *tres libelli.* Ordinem elegiarum in Propertio male servatum esse, constat, et hic etiam locus indicio est. Ipsa enim verba tertii libri hanc esse elegiam arguunt. Nempe liber tertius plerumque adhaeret secundo. cf. quae de hoc versu disputavit Lachmannus. praef. p. XXI sqq. — Aliorum autem poëtarum libros intelligere absurdum est.

v. 30. *Syrio munere plenus onyx.* cf. p. 197.

v. 31. *suppositus ardor.* ignis. *supponere*, *subiicere*, vocabula sunt in hac re propria. Virg. Aen. VI, 223. subiectam *more parentum Aversi tenuere facem.* — v. 32. *Manes* pro cinere et ossibus.

Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
  Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque si quando venies ad fata, memento
  Hoc iter. ad lapides cana veni memores.
Interea cave, sis nos adspernata sepultos,
  Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Iussisset quaevis de tribus una soror.

---

v. 38. *Phthii busta cruenta viri.* Achillis bustum cruentum caede virginis Polyxenae.

v. 39. *si venies ad fata.* i. moriere. Vult autem Cynthiae ossa, longo post tempore mortuae eodem componi. — v. 40. *lapides memores* vix dubitari potest quin recte explicuerit Huschkius: *μνήματα, σήματα*, quae conservant memoriam mortui inscripto nomine. Vide quem comp. Lachm. Val. Flacc. IV, 314. *memori noscere sepulchro.* Tum vero recte puto distinxisse Lachmannum:

Tu quoque, si quando venies ad fata, (memento),
Hoc iter ad lapides cana veni memores.

v. 42. *ad verum sapit.* i. e. quod Cicero dicit *recta sapere* Att. XIV, 5. *Verum* enim hic significat aequum, ut Caes. B. G. IV, 8. neque verum esse, *qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare.* Terent. Andr. IV, I, 5.

Idne est verum? *immo id est genus hominum pessimum.*

Hor. Sat. II, III, 312.

An quodcunque facit Maecenas te quoque verum est.

cf. Oudend. ad Caes. l. l. Drakenb. ad Liv. II, 48. — Ad constructionem verbi *sapere* compara Terent. Adelph. V, III, 45.

Ad omnia *alia aetate* sapimus *rectius.*

v. 43–50. Mallem in prima infantia posuisse hanc vitam, cuius tam dubius est exitus. Quid prodest eam per longius spatium producere, quum eo confecto tamen mori oporteat. Exemplo est Nestor ter aevo functus, qui si prius mortuus esset, non tantos e filii morte cepisset dolores. Aliter igitur Horatius sensit, qui lu-

Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longaevae minuisset fata senectae
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
  Diceret aut, o mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico:
  Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondam percussit Adonem
  Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum iacuisse paludibus, illuc
  Diceris effusa tu, Venus, isse coma:

---

ere *apponere* iussit *quae detur hora.* — v. 45. *Quo servetur.* vid. p. 115. —

v. 47. 48. Versus impediti et haud dubie corrupti, quorum vulgo haec est scriptura: *Quis tam longaevae meminisset* etc. Equidem priorem versum bene emendatum puto a Lachmanno qui scribit: *Cui si tam longae minuisset* etc. Sed quid v. sequenti de *Gallico milite* fiat non habeo dicere. Lachmanni enim coniectura *Ilius Iliacis* neque per se placet, et nimium recedit a scriptura vulgata. Videant sagaciores quam corruptelam passum sit huius versus principium.

v. 53. *Testis qui niveum* etc. Recte hoc improbavit Huschkius, aprum testem citari, et verissime emendavit *Testis, cui niveum.* nempe Veneri.

v. 55. *Illis formosum iacuisse paludibus.* Ferri hoc nequit non una de causa. Primum dicendum erat *formosus*; deinde non quid egerit, quo iacuerit Adonis quaeritur, sed qui luctus Veneris fuerit. Lachmannus coni. *Illic formosis iac. pal.* qui idem admittit hic vitium, contra quod fortiter disputavit ad lib. I, XVIII, 27. rei scilicet iucundae in tristissimo casu mentionem subiiciens. — In plurimis edd. est *flevisse*, quod per se probum est, nisi adiectum esset paludibus. Equidem amplector scriptu-

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes,
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

Lib. II. Eleg. XXVI.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecunque in me fueras mentita, fateri,
Nec iam humore graves tollere posse comas:
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,

---

ram Lipsio, Scaligero et Passeratio probatam: *lavisse*, unde facile utraque altera scriptura oriri potuit.

v. 1. Elegans elegidion, quo narrat, se per somnum Cynthiam vidisse naufragam et paene fluctibus obrutam, sed a delphino servatam. — Secutus sum in hoc carmine Burmanni ordinem, qui quae post v. 10. in caeteris editionibus leguntur, huc non pertinere, sed aliam elegiam esse, primus monuit. — v. 2. *Ionio rore.* Ros poëtis non solum est ἔρση sed quaevis aqua. Sic apud Horat. carm. III, IV, 61. Apollo *rore puro Castaliae lavit Crines solutos.* Ovid. Fast. IV, 778. *in vivo prolue rore manus.* Virg. Georg. I, 385. *largos humeris infundere rores;* et qui ad nostrum locum proxime accedit: Georg. IV, 431.

— — *Eum (Protea) vasti circum gens humida ponti*
Exsultans rorem late dispergit amarum.

cf. Cir. v. 516. — *ducere manus* est natantium.

v. 5. *Qualem —— Hellen.* Accusativos unde pendere dicam dubito. Nam si ad *te* eos referas, durius videri possit, quoniam non idem utrique esse potest verbum. Quare malim pro attractione habere. Talem te vidi, qualis erat Helle. — *purpureis fluctibus.* κύμασι πορφυρέοις.

v. 7. *ne tuum mare nomen haberet.* Ne quemadmodum Helle

Atque tua labens navita fleret aqua.
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi tum Dea Leucothëe?
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Saepe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris:
Et tibi prae invidia Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoë.
Sed tibi subsidium Delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.

Hellesponto, Icarus Icario mari nomina dederunt, tua etiam, si periisses, ponti pars nomina duceret. — v. 8. *navita fleret.* ventos sc. et undas.

v. 9. *Quae tum excepi. Excipere* rariore usu est pacisci, ut certis aliquid conditionibus fiat. Plin. XIV, 3. (1.) (Vites) *in tantum sublimes ut auctoratus rogum ac tumulum* excipiat, h. non nisi eo pacto conduci velit, ut si casu perierit heri sumtu efferatur. Senec. Ep. VI. *Si cum hac* exceptione *detur sapientia, ut illam inclusam teneam, reiiciam.* Non recte tamen qui idem voluisse videtur Lachmannus comparavit Ovid. Trist. I, II, 99 sqq. Ibi enim sibi excipit poëta; hic diis marinis Propertius, si quidem servaverint Cynthiam. — v. 10. *Leucothee.* nota ex Odyss. V, 334. quae quum ibi Ulixem servasse narretur, saepe in auxilium periclitantibus mari vocatur.

v. 18. *Arioniam lyram.* v. Ovid. Fast. II, 83-118.

v. 19. 20. *summo me mittere saxo.* proiicere. Virg. Aen. II, 253. *toto praeceps se corpore ad undas misit.* IX, 645. *ab alto aethere se mittit.* — *discussit visa metus.* metu expergefactus sum. Ovid. Heroid. X, 13. *Excussere metus somnum.* XIV, 70. Expulerunt *somnos haec mea dicta tuos.*

Lib. III. Eleg. I.

Callimachi Manes, et Coi sacra Philetae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos

---

1. Callimachi et Philetae Manes docere se iubet, qua arte, quibusve modis eam, qua gaudeant ipsi, famam sibi pariat. Sibi enim unice placere hoc carminis genus, et sperare se, fieri posse, ut aeternam inde capiat laudem. Hoc enim carmine puellas se vincere, earumque nomina posteritati innotescere, quod monimentum sit perennius aere et marmore. Longius enim durare opus vatum. Satis incommode Vulpius et post eum Barthius resectis viginti quatuor posterioribus versibus ex una hac elegia duas effecerunt. Contra quos quum tam eruditissimi viri, quam ipsa res clament, quamvis in caeteris Barthii editionem secutus essem, coniungendas rursus partes male divulsas censui. Caeterum cf. similis argumenti carmen Ovid. Amor. I, XV. — Callimachi et Philetae magna tunc erat Romae admiratio, quamquam fuerunt etiam, qui modestius de iis sentirent. Ex his Ovidius Callimachum dixit non valere ingenio, sed arte. l. l. v. 14. — *Sacra Philetae* dixit pro ipso poëta, quem sanctum habet et dei instar colit, et cui propterea nemus, i. lucum tribuit.

v. 3. 4. *Primus ego ingredior* etc. Quum omnis Romanorum poësis inde ab Ennii temporibus, et si qui ante hunc fuere, nitatur in imitandis Graecorum operibus, non id velle Propertius videtur, se primum omnium Graecos imitari, sed elegicum carmen ad Graeca exempla se componere et conformare. Quod quidem eodem iure iactare potuit, quo Horat. carm. III, XXX, 10. *Dicar — princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos.* Similiter etiam Virgilius Georg. III, 10.

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas.

sacerdos. Errant qui Callimachi Philetaeque sacerdotem intelligunt, abusi loco Virg. Aen. V, 761. *tumuloque sacerdos, Et lucus late sacer additur Anchiseo.* Verum Propertius Musarum se iactat sacerdotem, uti et Hor. carm. III, I, 3. *carmina non*

Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me fama levat terra sublimis, et a me
Nata coronatis Musa triumphat equis,

---

prius Audita Musarum sacerdos *Virginibus puerisque canto.* cf. p. 7. — *ingredior.* Virg. Georg. II, 174.

— — *tibi res antiquae laudis et artis*
Ingredior, *sanctos ausus recludere fontes.*

puro de fonte. ex quo primus haurit. — *Itala orgia.* Metaphora ducta a festis sacris, in quorum celebratione sacra deorum et arcana circumferebantur. Dicit igitur se Itala sacra Graecis choris, i. Graeco modo et more celebraturum; quae vero sint sacra et quae Graii chori iam nemo non videt. cf. v. 54. — *orgia ferre.* cf. Virg. Georg. II, 475. *Musae quarum* sacra fero.

v. 5. *carmen tenuastis.* Recte Barthium statuisse puto, metaphoram hanc a filo sumtam esse. Apta autem propterea est, quod elegiae et leve argumentum et faciles sunt numeri. Hinc ipse suas Musas supra dixerat *graciles.* — *in antro.* ubi Nympharum est domus (Virg. Aen. I, 168.), et divino spiritu afflantur poëtae. Sic Horatius carm. II, I, 39. *Dionaeo sub antro* quaerit modos. cf. Bentl. ad carm. I, XXXII, 1.

v. 7. 8. *Phoebum moratur in armis.* Arma canit. Non me iuvat splendidum, quo heroum facta canantur, carmen, sed leve] et graciles elegi, quorum versus pumice quasi poliantur sive exigantur. — *tenuis pumex,* quia poliendo tenues res reddit, hic versus elegantes facit.

v. 9. 10. *fama levat terra.* ut sublimi feriat sidera vertice. — *a me nata.* deterior est scriptura. Legendum *nota.* i. quae per me innotuit.

Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae,
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici foenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas.
  Maius ab exsequiis nomen in ora venit.

---

v. 11. *mecum in curru vectantur Amores.* Recte monuisse videtur Iacobsius, Propertium respexisse eum morem, quo pueri triumphatorum simul curru triumphali sint vecti. v. Liv. XLV, 40. — v. 12. *scriptorum turba.* i. poëtarum, qui loco ducum et militum, victoriae consortium, meum currum sequantur.

v. 13. 14. Hanc frustra, vos, invidorum aemulatorum turba, mihi eripere gloriam audebitis. Non est tam lata, qua ad Musas currimus, via, ut me praetercurrere possitis. Cur tamen angusta haec dicatur via dubium est. Lego:

Non datur ad Musas currere lata via?

Caeterum verba iunge hunc in modum: Non datur lata via ad Musas currere, i. currenti, qua quis possit currere.

v. 15-18. Ibi maior patet campus, qua bellicae res canuntur et Romae laudes. Multi et sunt et erunt, qui hoc spatio decurrant; sed placidos elegos, gratum pacis cultoribus opus, ego primus Pierio de monte retuli. Quare sertis orner carminis mei argumento aptis. — v. 20. *non faciet.* cf. p. 64. — Ad vv. 21-24. cf. Ovid. Trist. IV, X, 121 sqq. Amor. I, XV, 59 sq.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Haemonio comminus isse viro?
Idaeum Simoënta, Iovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troia, bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sentit opus.

---

v. 26. *Haemonio viro.* Achilli, quocum Xanthus congressus est, vid. Iliad. XXI, 211–384. — Ad constructionem: *arces — isse — Simoënta — maculasse*, cf. dicta p. 199. — Caeterum verba: *equo pulsas abiegno arces* non recte explicantur: equi abiegni ope eversas. Hoc quid sit intelliges e Virg. Aen. II, 234.

Dividimus muros et moenia pandimus urbis.

et ib. v. 237. *scandit fatalis machina muros.*

v. 27. Iniuria Lachmannus hunc versum spurium declaravit, inprimis aegre ferens Idam Phrygiae Iovis dici cunabula, quippe qui natus sit Cretae in eiusdem nominis monte. Sed certasse Phryges cum Cretensibus de Iovis natalibus, olim iam docuit Spanh. ad Callim. Iov. v. 6. — Quoties enim nominis ambiguitas diversas peperit fabulas! cf. quae de Scylla duplici monui p. 98.

v. 29. *Polydamanta sine armis.* Haec et sensu et numero carent. Probabiliter Lachmannus emendavit: *Polydamanta*, et in armis *Qualemcunque Parin.* In codd. est *Polydamantes in armis.* Vulgata debetur Scaligero.

v. 32. *bis Oetaei numine capta dei.* Nimirum quia ultus dicitur Hercules Laomedontis perfidiam expugnatione Troiae, nec sine telorum ope, quae Hercules Philocteti tradiderat, Troia a Graecis expugnari potuit.

Meque inter seros laudabit Roma nepotes,
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulchro,
Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono,
Orphea detinuisse feras, et concita dicunt
Flumina Threïcia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quinetiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna,
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho, et Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes:
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:

---

v. 36. *auguror esse.* Meliores: *Auguror ipse.* — v. 38. *Provisum est.* Dafür ist gesorgt. sc. carminibus.

v. 40. *solito tacta puella sono,* solito carmine mota et delectata. Ovid. Fast. V, 489. *Si te proverbia tangunt.*

v. 49. 50. *Taenariis columnis.* v. p. 249. — *camera eburna.* cf. Horat. carm. II, XVIII, 1. — v. 51. *Phaeacas silvas.* vid. Odyss. VII, 112–128.

v. 52. *Marcius liquor.* Plin. XXXI, 3. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, praeconio Urbis, Marcia est inter reliqua deum munera Urbi tributa. — Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus e regibus etc.*

At Musae comites et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello,
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Iovis Elei caelum imitata domus;
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant:
Aut illis flamma, aut imber subducet honores;
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Lib. III. Eleg. II.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis;

---

v. 54. *defessa meis choris.* Carminum meorum ambagibus. cf. v. 4. — Ad vv. sqq. cf. Horat. carm. III, XXX. — v. 58. *Iovis Elei domus.* De magnificentia templi Iovis Olympici, in quo plurima erant deorum et heroum simulacra, vid. Paus. V, 10. — v. 60. *Mors* est interitus.

v. 1. Narrat poëta se, quum bellicas res cantare moliretur, admonitum esse ab Apolline et Calliope, ne maiores ingenio suo res aggrederetur, sed contentus minore fama elegos componeret. — *molli in umbra.* quae mollem praebet quietem.

v. 4. *nervis meis hiscere.* chordis edere; *hiscere* enim ut propria significat, aperire os ad loquendum, deinde est i. q. loqui. Ovid. Metam. XIII, 231.

Nec Telamoniades etiam nunc hiscere *quidquam (Ausit).*

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres et Horatia pila,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, et versos ad pia vota deos;
Hannibalemque lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Iovem;
Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti,
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat expectans sola puella virum.

---

v. 5. *tam magnis fontibus.* pro argumento carminis epici. — v. 8. *Aemilia vecta tropaea rate.* Intelligendam esse victoriam a L. Aemilio Paullo de Perseo Macedonum rege reportatam dubitari nequit. Hoc tamen quum factum sit eo ipso anno, quo Ennius obiit, U. IↃLXXXV. dubitari potest, an eo usque Annales suas perduxerit. Quare Iacobsius legendum suspicatur v. 7. quod cuivis in promtu est: *Et cecini.*

v. 10. *versos ad pia vota.* quia aversi fuerant, sed votis susceptis Romano populo reconciliabantur; unde tutelares exstiterunt, et Hannibalem Roma arcuerunt. Caeterum nota rerum et temporum diversissimorum confusionem, quam quis argumento habeat contra Bentleium, hanc ipsam ob causam Horatium vituperantem. vid. ad carm. I, XII, 35.

v. 13. *Castalia ex arbore.* i. silva. Simile visum habes apud Horat. carm. IV, XV, ab in. Ovid. Art. II, 493. — v. 14. *aurata nixus lyra.* ut solebat fingi ab artificibus. vid. August. tom. II. tab. LXVII. — v. 16. *opus.* cf. p. 167.

Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris, medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeee, tui.
Et Veneris dominae volucres mea turba columbae

---

v. 21. *praescriptos evecta est pagina gyros.* Quid extra fines tibi scriptos vagatus, res cantas viribus tuis maiores? Sic supra III, I, 39. dixit: *Carminis nostri redeamus in orbem.*

v. 23. *alter remus aquas — alter arenas.* i. lege litora. Virg. Georg. II, 42-46.

Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox. ades, (Maecenas) *et* primi lege litoris oram.
In manibus terrae. *non hic te carmine ficto*
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

v. 29. *Ergo Musarum* etc. *Ergo* inservit orationi continuandae, quum ab enarratione rerum leviorum ad graviores, vel ad ipsam inchoati sermonis summam transitur. cf. Virg. Georg. I, 489. Aen. VI, 384. Hor. Epod. II, 7. — Lachmannus dedit: *Ergo hic Musarum.* — *Silenus* non inepte iungitur Musis; carmina enim et hic edebat. Sic Fauni aliique dii agrestes Musarum saepe apud poëtas sunt socii. — v. 30. *calami.* fistula.

v. 31. *mea turba.* Passeratius coni. *mea cura.* Lachmannus etiam miratus, quo iure Veneris columbas suam turbam dicat, coni. *sua turba.* Neuter recte. *mea turba* est mihi amata.

Tingunt Gorgoneo Punica rostra lacu,
Diversaeque novem sortitae iura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam:
E quarum numero me contigit una dearum,
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praetoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent, et Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia moerenti corpora vectet aqua.

---

v. 32. *Gorgoneo lacu.* Hippocrene.

v. 33. *Diversae novem sortitae iura puellae.* Multo rectius alii legunt *rura.* — *Diversae* accipiunt eo sensu, quo dici vidimus p. 20. Equidem nihil video nisi enallagen epithetorum; nam diversi notio pertinet ad rura. — *in sua dona.* i. nectunt coronas etc., quibus donent poëtas.

v. 39. *contentus vectabere cycnis.* Sufficiat tibi mollia edidisse carmina. cycnis enim Venus vehitur. v. Hor. carm. III, XXVIII, 15.

v. 41. *praetoria classica* est emendatio Beroaldi. In codd. est *praeconia classica*, quod explicant „laudes victoriarum navalium, praecipue pugnae Actiacae.“ quemadmodum Noster II, I, 28. dixit *classica bella* pro navalibus, et Vell. Pat. II, 85. *classicum certamen.* *Flare* autem praeconia illustravit Lachm. loco Martialis XIII, 3. *proelia flare tuba.* (Leguntur haec lib. XI. ep. IV.)

Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetea nostra rigavit aqua.

Lib. III. Eleg. VII.

Ergo sollicitae tu causa pecunia vitae es,
Per te immaturum mortis adimus iter,
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes;
Semina curarum de capite orta tuo.

---

v. 47. Tu canes amantium dolos et improba ausa, dum sedent nocturni in alieno limine. *fugam nocturnam et ebria signa* melius quidem quam caeteri Lachmannus interpretatus est epigr. Meleagri LXIV.

Ἄστρα καὶ ἡ φιλέρωσι καλὸν φαίνουσα σελήνη,
Καὶ Νὺξ, καὶ κώμων σύμπλανον ὀργάνιον.

Sed nescio an hic fugae amantium intelligi debeant.

v. 49. *excantare* dicitur qui magicis carminibus, quae aliorum sunt, in suam rem traducere et pellicere studet, unde in duodecim tabulis erat: *Qui fruges excantassit* (Plin. H. N. XXVIII, 2.) et: *Neve alienam segetem pellexeris.* (Serv. in Virg. Ecl. VIII, 99.) Ergo *excantare puellas* est a maritis feminas elicere; hi enim sunt *austeri viri*, quos vult *arte ferire*, i. fallere.

v. 1. Carmen praestantissimum, in mortem Paeti invenis, qui Alexandriam petens naufragium fecerat, et in undis animam posuerat. Quare detestatur omnem navigationem, et quae eius causa hominibus sit, auri famem. — v. 2. *immaturum mortis iter.* Hoc loco ne quis abutatur ad explicandum Tibullum II, III, 5. cogitet, quid sit inter *viam* et *iter*.

v. 4. *de capite tuo.* Caput pro fonte dictum putant. Cic.

Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur primo miser excidit aevo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae.
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena natantis aqua.

Planc. XXIII. *Neque ego, si fontem maledicti reperietis: ut aut negligatis aut dissimuletis, unquam postulabo. Sed, si quid sine capite manabit, — ne quid reo innocenti noceat, oramus.* Hic tamen *semina* manare de fonte non recte dici puto, et *de capite tuo* simpliciter accipio pro: *de te.*

v. 9. 10. *iusta debita.* cf. p. 14. — *rogi cognati* sunt cineres cognatorum. — v. 16. per *sanctos viros* intellige ipsum Paetum.

v. 17 — 20. *Quid aetatem numeras?* Quid prodest iuvenili aetate mortem deprecari? quid matris mentio? non audiunt marina numina amica aure mortalium vota. — *detrito fune cadunt vincula.* detritis ad saxa ventorum sollicitatione funibus, solvuntur vincula, quibus alligata erat rupibus navis.

v. 21. 22. Testis mearum sententiarum est litus illud, in quo sepultus est Argynnus, undarum crudelium saevitia ereptus Aga-

Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides:
　Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
　Paetum sponte tua vilis arena tegas.
Ut, quoties Paeti transibit nauta sepulchrum,
　Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas,
　Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adiecimus undas:
　Naturae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
　Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcunque paras: haud ulla carina
　Consenuit: fallit portus et ipse fidem.

---

memnoni, a quo scilicet prae cunctis amabatur. vid. Athen. XIII, p. 603. — *Argynni poena* est mors. Caeterum variat hic scriptura. Lachmannus dedit: *Q. n. A. poena*, *minaeis aquae*, ut postrema verba iungantur superiori *litora*. Non placet. Vox *natantis* minime abundat; Agamemnon enim puerum *ἐπὶ τῷ Κηφισσῷ νηχόμενον* adamare coepit. Quod autem subiungit poëta de mora classis Graecae Troiam petere Aulide paratae, multum discrepat a vulgari fabula.

v. 29. 30. *leti texite causas*. *leti causae* sunt ipsae naves. *Texere rates* dixit ut Virg. Aen. XI, 326.

Bis denas Italo texamus *robore naves*.

per humanas acta manus. cf. Tib. I, X, 33. — Versu sequenti frustra Lachmannus distinguit:

Terra parum fuerat fatis: adiecimus undas.

Fata sunt mortis genera homini fato destinata, quibus ipse adiecit undas. — v. 32. *Naturae* est emendatio Broukh. libri scripti habent *Fortunae*, quod hic fere idem est quod fatum.

Fortuna insidias pontum substravit avaris,
  Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga quum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim socium iacturam flevit Ulixes.
  In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva Penates
  Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,

---

v. 37. *Fortuna.* Hoc etiam debetur Broukhusio. In codd. enim est *Natura;* quam scripturam defendit optime Lachmannus loco Stat. Theb. II, 501.

> Insidias natura *loco caecamque latendi*
> Struxit *opem.*

v. 39. *Capharea saxa.* Caphareus mons altissimus Euboeae, infamis naufragiis Graecorum a Troia redeuntium. Namque Nauplius, rex Euboeae, mortem filii sui Palamedis, ad Troiam Ulyssis factione interemti, ulturus, noctu facem in huius montis vertice proposuit, ut Graeci locum hunc pro portu habentes in scopulis multis et crebris undarum vorticibus interirent. Barth. — v. 40. *quum tracta est.* pro: quo factum est ut traheretur. cf. dicta ad I, VIII, 16.

v. 45. *ante suos dulcis conviva Penates.* Horat. Sat. II, VI, 65.

> *O noctes coenaeque deum! quibus ipse meique*
> Ante Larem *proprium vescor.*

v. 46. pro *potest* probabiliter Lachmannus emendavit: *potis.*

v. 47. *Non tulit hic Paetus. Hic* seu pronomen esse velis, sive adverbium, languidum est, ne dicam ineptum. Unus liber *haec,* quod recepit Lachmannus. — Versus qui sequuntur ita refecti sunt ab editoribus, quum in plerisque mspts. legeretur:

> *Sed Chio thalamo, aut Oricia terebintho,*
> *Et fultum plumae versicolore caput.*

Et duro teneras laedere fune manus.
Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi
Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno,
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Aegaei quos sunt penes aequora, venti,
Et quaecunque meum degravat unda caput.
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.

---

quam scripturam revocavit Lachm. *Chio* tamen mutato in *Cnidio*, auctoritate Plin. H. N. XVI, 36. 64. Auson. epist. VII, 49. et IV, 75. Sensum enim dicit esse hunc. „Hoc solum ferre Paetus poterat, ut Cnidio calamo aut supellectile ex terebintho facta manus laederet, et caput pulvillo in quo fultum erat versicolore."

v. 52. *Et niger invitam* etc. Nigrum hiatum sunt qui interpretentur oris hiatum. Facete! Sed est haec emendatio Lipsii, pro qua in codd. legitur: *Et miser.* in multis etiam *invisam*, unde Lachm. effecit: *Et miserum invita — aqua.* Meliorem loco corrupto medelam mecum desiderabis.

v. 60. *Attulimus longas manus.* Locus difficilis, in quo *longae* manus quae sint vix dicas. Broukhusius ridicule interpretatur „non debilitatas periurio"; usus quidem loco Ovid. Amor. III, III,

Quam longos *habuit, nondum periura* capillos
Tam longos *postquam numina lusit habet.*

Sed ibi *longi capilli* commemorantur, quia hoc insignis decore fuerat puella; quare periura graves poenas dedisset, ablato hoc ornamento. Quid autem pulchri in longis manibus est?

Ah miser, alcyonum scopulis adfigar acutis;
  In me caeruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus
  Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
  Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
  Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento,
  Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, nunquam mea tela videbis,
  Ante fores dominae condar oportet iners.

Dousa non minus infeliciter intelligit „reciproca fluctuum ac scopulorum collisione manus digitosque sibi breviores factos“ etc. Vulpius denique de manibus ad preces extensis cogitat. Poterit versus levi mutatione corrigi: *At tulimus largas* — ut largae manus significent dona mari pro piaculo oblata. Cum tamen sententiarum ordinem respicio, hunc potius sensum requiro: Quid in prima iuventute me rapitis? longae spem vitae attulimus.

v. 64. *sat erit.* Male vulgo distinguitur: Lege cum Lachm. Hoc de me, sat erit, si modo matris erit. — v. 67. *materno tacta dolore Thetis;* nempe Achillis lamentis commota. — v. 69. *supponere.* Ovid. Amor. III, VI, 81.

Supposuisse manus *ad pectora lubricus amnis*
  Dicitur.

Lib. III. Eleg. XII.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari;
Et quisquis fido praetulit arma toro.
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,

---

v. 1. Increpat Propertius Postumum, quod uxoris fidis amoribus arma et in extremis terris militiam praeferre potuerit. Felicem tamen dicit eum, ob castitatem et fidem Gallae, qua alter Ulixes evasurus sit. Vincere enim hanc castitate Penelopen. Scripta videtur anno U. IↃCCXXXI. quo tempore Augustus Orientem debellare paravit.

v. 4. *Ne faceres.* Ne in Bachii errorem incidas, mirantis non *Ut faceres* scriptum esse sed *Ne*, hunc sententiarum ordinem puta esse: An tanti fuit Parthi victi gloria, ut sequereris Augusti signa, quum tamen Galla tua multum te oraret, ne faceres? Sive: Parthine spoliati gloria perpellere te potuit, quamvis multum te, ne faceres, Galla rogaret?

v. 9. 10. *fama tabescet inani.* Hoc est, quod scribit Penelope Ulixi, v. 11.

Quando ego non timui graviora pericula veris?

Ne fiat amara tibi sc. metuens. Burmannus praetulit paucorum scripturam, *sibi.* Ovid. Trist. IV, X, 51.

Virgilium vidi tantum, *nec* amara Tibullo
Tempus amicitiae fata *dedere meae.*

Scilicet in utroque loco mors intelligitur.

Ferreus armato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter, quater in casta felix, o Postume, Galla;
Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sis luxuriae Roma magistra tuae?
Sed securus eas; Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocunque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Ulixes;
Non illi longae tot nocuere morae.
Castra decem annorum, et Ciconum mons, Ismara, Calpe,

---

v. 12. *armato equo.* „Revoca quod in scriptis omnibus habetur, *aurato equo.* Nihil difficile in hoc, si de Postumi equo intelligimus. Contra egregium et muliebri ingenio accommodatissimum, non marito sed et equo aurato timere. Et quid vis? recte sentit Aelia. Quantillum enim Postumus, equo amisso, inter Parthorum equitatum poterat?" Lachm.

v. 15. *in casta felix coniuge.* Dictum est de hac phrasi p. 35. cf. etiam Wagner. Eleg. ad Mess. p. 40. — v. 16. *Moribus his.* Non ita accipio, ut sit pro: ob hos mores; sed Moribus his cum esses. Terent. Andr. II, III, 21. *uxorem his moribus dabit nemo,* sc. filio. — v. 18. Recte Lachmannus e codd. dedit *luxuriae suae.*

v. 25. *Ciconum mons, Ismara, Calpe.* Lachm. dedit Fonteinii scripturam: *Ciconum manus, Ismara capta;* quia nec Ismarum montem, neque Calpen vidisset Ulixes. Calpen non habeo quo defendam; in Ismaro non haereo. Scimus enim, quam diligentes esse soleant poëtae in his rebus. Caeterum si Calpes montem vidisse Ulixem quidam tradiderunt, illud certe nullum est argumentum, quod dicit Lachm. certe non ante Cyclopem eo

Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae:
Et Circae fraudes, lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos,
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie,)
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies,
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse latus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum:
Nec frustra: quia casta domi persederat uxor,
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

---

eum pervenisse. Nam Lotophagi etiam post Circen collocantur, et *νεκυία* Sirenesque post reditum a Calypso, et datur haec poëtis venia. — Dixerat tamen auctor panegyrici in Messalam v. 54.

Nam Ciconumque manus *adversis reppulit armis.*

Sed nostro loco *montus* esse singularem, non placet. — v. 26. *exustae genae.* Odyss. IX, 389.

πάντα δὲ οἱ βλέφαρ᾽ ἀμφὶ καὶ ὀφρύας εὗσεν ἀϋτμή,
γλήνης καιομένης· σφαραγεῦντο δέ οἱ πυρὶ ῥίζαι.

v. 31. *Aeaeae puellae.* Calypsus, nam Circen supra iam commemoraverat, et ab illa rediens *δύο νύκτας, δύο τ᾽ ἤματα κύματι πηγῷ πλάζετο.* Scilicet Aeaeam insulam seriores interdum cum Ogygia commutarunt. v. Pomp. Mel. II, 7.

Lib. III. Eleg. V.

Pacis amor Deus est, pacem veneramur amantes,
Stant mihi cum domina praelia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo:
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte,
Recta animi primum debuit esse via.

---

v. 1. Improbat poëta hominum pravitatem et stultitiam, qui divitiis avidissime inhiantes, opes sibi parare quovis modo et ipsius capitis periculo conentur, quarum nihil tamen eos suprema die secuturum sit. Se malle, dum genua vireant, mollem et otiosam agere vitam, deinde ingruente senectute severioribus artibus se tradere, et rerum causas investigare. Plana fere tota est elegia, nisi quod duo priora disticha corruptelam passi esse videntur. Recte igitur emendasse puto Livineium et Lachmannum: *Sat mihi cum domina*, et *Nec tantum inviso*. Nil sibi cum bello sit esse, satis dura sibi esse proelia quae cum domina sibi sint. Neque tantum se divitiarum cupidum esse, ut belli labores propterea subeat.

v. 4. *e gemmà bibit.* poculis gemmeis. Cic. Verr. IV, 27. *pocula ex auro, quae ut mos est regius et maxime in Syria*, gemmis erant distincta *clarissimis. Erat etiam* vas vinarium ex una gemma *pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo.* cf. Virg. Georg. II, 506. — v. 6. De aere Corinthio cf. editt. Winkelm. W. Th. 5. p. 431.

v. 9. *mentem non vidit in arte.* non curavit animum, qui futurus esset in opere suo. *Ars* enim hic est artis opus. Horat. carm. IV, VIII, 5. *divite me scilicet* artium, *Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas, Hic saxo, liquidis ille coloribus.* — v. 10. *recta animi via.* recti adque aequi sensum ante omnia indere iis oportuit; nunc quaevis nefaria committunt.

Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
 Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
 Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis,
 Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
 Optima mors parca quae venit apta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa,
 Musarumque choris implicuisse manus.
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,
 Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
 Sparserit et nigras alba senecta comas:
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
 Quis Deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit exoriens, qua deficit; unde coactis
 Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Unde salo superant venti: quid flamine captet

---

v. 13. 14. Quam stultum est tantum operae ponere in coacervandis opibus, quarum nihil possessorem vita defunctum secuturum est. — *ab inferna vehere rate.* Latinum hoc negat esse Lachmannus. Codd. plurimi: *ad infernas rates.*

v. 18. *parvam diem* Scalig. interpretatur *τὴν πεπρωμένην ἡμέραν*, ut sit idem dicendi genus, quod tetigi p. 63. Sed recte puto Lachmannum negare ita dici posse, cum quo corruptum esse locum dicam, sed felicius emendandum. — v. 21. *vincire*, quia soporiferum est vinum. cf. III, XVII, 42. — v. 22. *caput habere in rosa.* corollas intellige quibus ornati caput veteres compotare solebant. — Versibus, qui sequuntur, naturae se leges rerumque causas investigaturum dicit. cf. similem locum Virg. Georg. II, 475 sqq.

v. 29. *salo superant venti*, incumbunt, quia nunquam fore vacuum est ventis. — *quid captet.* Bene comparavit Barthius

Eurus, et in nubes unde perennis aqua.
Si ventura dies, mundi quae subruat arces:
  Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas:
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis et atratis luxerit orbis equis.
Cur serus versare boves, et plaustra Bootes:
  Pleiadum spisso cur coit imbre chorus.
Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus et in partes quatuor annus eat:
Sub terris si iura Deum, et tormenta Gigantum,
  Tisiphones atro si furit angue caput:
Aut Alcmaeoniae furiae, aut ieiunia Phinei;
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo iugera pauca novem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
  Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: vos quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

Virg. Georg. I, 462. *quid* cogitet *humidus Auster.* — v. 34. *atratis equis,* in defectu solis.

v. 36. *spisso coit imbre.* Est emendatio Heinsii. Codd. *spisso igne.* quod recte praetulit Lachm. expl. spisso et conferto stellarum choro. Idem laud. Manil. I, 753.

Anne magis densa stellarum turba corona
Contexit flammas, et crasso lumine candet?

et Germanici phaen. 256. coëuntia plura sidera communem ostendunt ignem.

v. 44. *Tityo iugera pauca novem.* Vix satis magnum, in quo iaceat spatium. — v. 46. *timor haud ultra quam rogus.* i. An post mortem nihil sit quod metuamus, nec vita functis quidquam de nobis supererit.

Lib. IV. Eleg. XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulchrum;
  Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem furvae Deus audiat aulae,
  Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.

---

v. 1. Cornelia, Paulli Aemilii Lepidi, qui frater erat triumviri, uxor, P. Cornelii Scipionis Nasicae et Scriboniae filia, generosi animi mulier, aetatis flore absumta erat. Umbram eius hoc carmine Propertius facit loquentem; solantem coniugem et natos superstites, admonentem suarum partium, et suam quasi causam coram potentibus Orci agentem.

v. 3. *infernas intrarunt funera leges.* Funera dicuntur etiam mortui ipsi. Sic supra erat: lib. I, XVII, 8. *parva* meum funus *arena tegat?* Virg. Aen. IX, 491. *quae nunc artus avolsaque membra, Et* funus lacerum *tellus habet?* cf. Burm. ad Valer. Fl. VII, 643. ubi *haurit funera tellus.* His tamen locis funera sunt corpora vita defuncta, nostro loco mortuorum animae, Manes. — *intrare leges infernas*, dictum est pro loco, ubi valent leges illae, Orco. Similiter Val. Fl. V, 483.

— — *cui non iusso tot adire voluptas*
Monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?

Ad sententiam praeter Hor. carm. IV, VII, 21. cf. Homerum Iliad. XXIV, 549 sqq.

ἄνσχεο, μηδ' ἀλίαστον ὀδύρεο σὸν κατὰ θυμόν·
οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἷος ἑῆος,
οὐδέ μιν ἀνστήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθῃσθα.

v. 6. *lacrimas litora surda bibent.* *Litora surda* sunt inexoratae, in quae frustra tuae cadent lacrimae. Hinc Plutona Hor. carm. II, XIV, 6. dixit *illacrimabilem.* Bachius comparavit Prop. III, VI, 8. *suspensis auribus ista bibam.* Ergo *lacrimas* pro que-

Vota movent superos, ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum

---

velis accepit. Sed quid vetat simpliciter interpretari de litore *bibulo?* cf. Ovid. Amor. II, XI, 14. Stat. Theb. XI, 44. — *Nempe* habet vim augurandi. cf. p. 154.

v. 7. Superos tangunt vota mortalium; inferi nullis precibus exorantur. — *ubi portitor aera recepit.* Portitor est Charon, cui naulum debere animas credebantur. Aristoph. Ran. v. 139.

ἐν πλοιαρίῳ τυννουτῳῒ σ' ἀνὴρ γέρων,
ναύτης διάξει δυ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών.

Iuven. Sat. III, 265 sqq.

Iam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat caenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Propterea apud Athenienses mortui nummum ore accipiebant; nisi vero hinc ipsa de naulo Charontis fabula orta est. — v. 8. *lurida porta*, est Orci porta, qua obserata redire ad superos mortuis negatur. Qui quum conditi teneantur sepulcris, haec quasi obserantur. *Herbosi rogi* enim sunt sepulcra gramine obsita. Sic supra III, VII, 10. erant *cognati rogi.* Alii aliter locum interpretantur. Lachmannus per *rogos* ipsum intelligit Orcum, quod est durissimum. Bachius portam adeo putat esse ianuam monumenti sepulcralis.

v. 9. *Sic cecinere tubae.* sc. fore. hanc cecinere legem. *moestae tubae* sunt funereae. v. p. 153. — v. 10. *subdita fax*, rogo accenso.

v. 11. *currus avorum* per metonymiam ponitur pro triumphis, quia curru invehebantur triumphantes. Cic. Fam. XV, 6. *quem ego* currum, *aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?* Prop. II, XIV, 24.

Haec spolia, haec reges, haec mihi currus *erunt.*

Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni,
Det pater huic umbrae mollia iura meae.
Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.

---

v. 15. *Damnatae noctes* dicuntur ut Tib. I, III, 67. *scelerata sedes.* — *vada lenta.* Stygiam intellige aquam, quae paludi est similis. vid. Heyn. ad Virg. Aen. VI. Exc. IX. Sic et Horatius carm. II, XIV, 17. Cocytum dixit *errare flumine languido.* — v. 16. *implicat unda pedes.* Virg. Aen. VI, 438. *tristi palus inamabilis unda* adligat. Stat. Theb. II, 3. laudante Lachmanno:

Ire vetant nubes et turbidus implicat *aër.*

v. 17. *tamen non noxia.* Veteres praematuram mortem scelerum poenam habuisse, vidimus ad Tib. I, III, 51. — v. 18. *pater* hic est Pluto.

v. 19. *posita sedet Aeacus urna.* Illustrant hunc locum versus Virg. Aen. l. l. v. 432.

Quaesitor Minos urnam movet, *ille silentum*
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit,

ubi de singulis te edocebit Heyn. Exc. XI. — Aeacus nominatus pro iudicum quolibet, unde intelligitur paullo diversâ lege hic iungi pronomen *quis* sive *aliquis* nomini proprio, ac locis illis, ubi certus quidam et unus significatur, ut Ovid. Met. XV, 497. *aliquem Hippolytum.* Virg. Aen. II, 81. *aliquod nomen Palamedis.* Nostro simillimum est, quod legitur apud Virg. Aen. I, 181. *Anthea si* quem *iactatum vento videat — aut Capyn, aut arma Caici.*

v. 20. *sortita pila.* Illustrat haec verba Asconius in argumento Milonianae: *Quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, ac coram accusatore ac reo* pilae, in quibus nomina

Adsideant fratres, iuxta Minoia sella, et
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces. taceant Ixionis orbes:
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me, si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera vitta comas,

---

iudicum inscripta essent, *aequarentur: dein rursus postera die sortitio iudicum fieret.* Ergo Romanum morem transtulit in iudicia inferorum. — *sortita* passive pro sorte ducta. Sed quid sit *vindicare in aliquem*, vix dicas. Lege cum Lachmanno ex Heinsii coniectura: *Is mea* etc.

v. 21. 22. *Adsideant fratres.* Quia tres sunt inferorum iudices. Sed reliqua versus pars male ita legitur in plerisque codd. et emendanda est ex melioribus: *iuxta et Minoida sellam Eumenidum* etc. — *intento foro.* Festam quasi diem hanc agi dicit, quare ipsos sceleratos illos poena vacare vult. — v. 24. Corruptelam arguit nomen *Tantaleo*, quod pro Tantalo ferri non potest. Heinsius corrigit: *F. Tantaleo corripere ore liquor.*

v. 29. *Si fuit decori* quod Ovidius expressit: *Si quid id est.* — Commemorandae autem erant Corneliae tres gentes: Aemilia, Cornelia in quam L. Aemilii Paulli Macedonici filius adoptione venerat, et Scribonia, cui Libonum erat cognomen.

v. 33. *facibus cessit praetexta maritis.* quum nupsit Paullo. — *praetexta* est vestis virginalis. De facibus vide infra v. 46. et cf. p. 137. — v. 34. *altera vitta* est maritalis.

Iungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa iaces;
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum;
Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas; sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas;

---

v. 35. *sic discessura*, unde vita demum defuncta discessura fui, quod rarum erat illis temporibus. *Sic*: ut nunc factum est. — In sequenti versu *hoc* ineptum, et mutandum est cum vv. dd. in *huic*.

v. 38. *Africa tonsa*. Captivos tondere mos fuisse videtur; quamquam nescio an praeter hunc locum nusquam huius rei mentio fiat. Nam quae Broukh. laudat Ovid. Amor. I, XIV, 45. et Fast. I, 127. multum aliena sunt. Servos tamen apud Graecos certe curtam gessisse comam colligi potest ex Aristoph. Av. v. 911.

ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

v. 39. 40. *Et Persen*. Repetere iubent editores e v. 37. verbum testor; qua in re falluntur; quid enim Corneliae cum Perseo; et qui testis hic esse poterit vitae sine labe peractae? Equidem ita verba struo: Et proavum testor, qui fregit Persea tuasque domos, Achille. Sed displicet totum distichon.

v. 41. *censurae legem mollisse*, quod factura fuisset, si peccatis suis adduxisset coniugem, qui Censor fuit, ut minus severam censuram ageret propter suae ipsius domus labem.

v. 46. *inter utramque facem*. quarum altera coniugalis, altera funerea. — v. 47. Sensus est: Ego carere potui legibus ab homi-

Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas;
Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritae cara ministra Deae;
Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat: et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,

---

nibus scriptis; ipsa natura id mihi dederat ingenium, ut sponte, non metu coacta proba essem.

v. 50. *Turpior adsessu — meo.* „Nulla femina, sive nupta, sive virgo, inhonestior erit propterea, quod mihi adsederit. alludit morem Romanum, ex quo in iudiciis amici adsidebant reis, ideo sub finem dicit,

Causa perorata est: flentes me surgite testes."

Brouкн. — De *Claudia*, quae Cybeles effigiem Romam portatam, sed in Tiberino vado haerentem, fune promovit, et hoc facto casta populo est probata, vide Ov. Fast. IV, 305 sqq. De Aemilia, Vestali virgine, quae precibus suis evicit, ut ignis sacer exstinctus prodigiose rursus accenderetur, vid. Val. Max. I, 7. — v. 54. *carbasus alba*, in foco coelitus accensa.

v. 58. *defensa ossa.* Caesaris lacrimae pro me loquuntur. — v. 60. *Increpat.* Indignabundus queritur, me dignam natae suae sororem morte ereptam esse. Eodem sensu increpare est III, X, 10.

Increpet *absumtum nec sua mater Ityn.*

v. 61. *generosos vestis honores.* Quia fruebatur iure trium li-

Nec mea de sterili facta rapina domo,
Tu Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu specimen censurae nata paternae
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis.

---

berorum, quo concessum fuisse matronis videtur, ut honoratiores quam alii, veste efferrentur. vid. Turneb. Advers. XXIII, 7.

v. 65. *sellam geminasse curulem.* Bis igitur gessit magistratum curulem; nempe aedilitatem et praeturam; deinde a. U. IↃCCXXXVIII. Consul factus. Quo tamen spectet v. 66. vox *tempore* dubium est. Interpretes aiunt esse pro *in tempore*, i. e. tempore opportuno, quo nihil ineptius esse dicit Lachmannus. Nollem tam atrocem ab eo latam esse sententiam. Non enim dolere Corneliam ob mortem, sed gaudere potius quod salvis suis et nullo graviore fato laesa decedat, intelligitur e v. 69. *mihi cymba volenti solvitur*, et v. 97. *Et bene habet.* Accedit id, quod maximi momenti habeo, Corneliam mortuam esse, postquam fratrem ad summos honores pervenisse vidisset. — Lachmannus ipse coniecit:

Consul quo factus tempore, rapta soror.

Quod multo minus placet. *Tempore* autem eodem sensu dixit Ovid. Heroid. IV, 109.

Tempore *abest, aberitque diu Neptunius heros.*

Neque mirum, quum *tempus* pro opportunitate toties ponatur. Si tamen meliora quis proferat, non admodum tenax huius explicationis ero.

v. 70. *aucturis tot mea fata malis.* Locus vexatus, de quo non habeo quod exponam, nisi vulgarem explicationem referam. Dicere enim putant Corneliam, se mortem non aegre ferre, quum si diutius vixisset plurima mala, viduitatis, orbitatis caet. fatum suum auctura fuissent. — Bacchius legit, quod Lachmanno etiam

Haec est feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos;
  Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adiice matris.
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis,
  Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges;
  Somniaque in faciem credita saepe meam,
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,

---

visum est: *auctaris tot mea fata meis.* — v. 71. 72. Hoc est summum feminarum decus, laudari post mortem, cum iam liberiores hominum sunt rumores. *merces extrema.* summum decus. — *emeritum rogum.* Non rogus laudatur, sed mortuus. Hinc apparet *emeritum* esse vitae vicissitudinibus defunctum.

v. 73. Sequuntur divini versus, quibus Cornelia, sanctissimo matris amore ardens, Paullo natorum suorum curam commendat. De singulorum versuum venustate taceam, ipsi enim pro se loquuntur. id unum moneam, hunc tenerum amorem, sanctam hanc matris pietatem vix Romani esse ingenii. — v. 74. *cura cineri spirat inusta.* Locum Ciceronis laudat Broukh. Verr. I, 44. *Cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti?* — *spirat.* vivit. cf. Mitsch. ad Hor. IV, IX, 10. — v. 80. *oscula fallere,* est simulata hilaritate osculari. In versu superiore ad verba *sine testibus illis* supple e praecedentibus *dole.*

v. 81. *noctes fatigare* quid sit docuit Heynius ad Virg. Aen. VIII, 94.

Olli remigio noctemque diemque fatigant.

Inde qui hausit Huschkius (Ep. cr. p. 21.) addidit, quod Barthius tamen iam indicaverat, Graecorum μοχθεῖν. Bion I, 73. et μοχεῖν, Theocr. XIII, 66.

Ut responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro:
Coniugium, pueri, laudate, et ferte paternum
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem.
Et bene habet. nunquam mater lugubria sumsi.
Venit in exsequias tota caterva meas.

---

v. 85. *adversum mutarit ianua lectum.* Apud Romanos lectus genialis sive nuptialis collocabatur in atrio. v. Hor. Epist. I, I, 87. et quoniam ianuae ex adverso stabat, *adversus* dicebatur. Laberius apud Gell. XVI, 9.

Mater familias tua in lecto adverso *sedet.*

Lamprid. Alex. Sev. XIII. *et* lectulum adversum *uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quae ex vetere more* in atrio *texebantur, diruerunt.* cf. Böttig. Aldobr. Hochz. p. 124 sq. — *mutare* male quidam explicant de loco. Mutatur autem lectus, quum alius fit uxoris. Recte Barthius cum Scaligero „quae videt alium adversum lectum."

v. 93. *discite sentire.* Dubito cum Lachmanno, an haec probabiliter quisquam explicaturus sit, et recte corrigi puto: *lenire.* — v. 94. sensus est: neque quidquam praetermittite, quo possitis caelibem iuvare.

v. 96. *sic iuvat esse senem.* Nempe vobis vivis, et summa

Causa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et coelum patuit: sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur equis.

---

pietate eius senectutem curantibus. — v. 99. illustrant superiora. cf. v. 19–22. — v. 100. *grata humus*, in qua conduntur ossa; composito enim funere praemia vitae ferunt animae.

v. 102. *honoratis equis.* Libri plerique habent *aquis*, unus *equis.* Neutrum recte explicari potest. Plerique editores amplexi sunt Heinsii coniecturam *avis*, h. ad avos.

EX

P. OVIDII NASONIS

FASTIS

PARTES SELECTAE.

P. Ovidii Nasonis

Fast. I, 63-294.

IANUS.

Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum,
Inque meo primus carmine Ianus adest.
Iane biceps, anni tacite labentis origo,
Solus de Superis qui tua terga vides;
Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades Patribusque tuis Populoque Quirini:
Et resera nutu candida templa tuo.
Prospera lux oritur: linguis animisque favete.
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia. differ opus, livida lingua, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether,
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in aede iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda iuvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Iupiter, arce sua totum cum spectat in orbem,
  Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, laeta dies, meliorque revertere semper,
  A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse Deum te dicam, Iane biformis?
  Nam tibi par nullum Graecia numen habet.
Ede simul causam cur de coelestibus unus,
  Sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.
Haec ego cum sumtis agitarem mente tabellis,
  Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer ancipiti mirandus imagine Ianus
  Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obstupui, sensique metu riguisse capillos,
  Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra,
  Edidit hos nobis ore priore sonos.
Disce, metu posito, vates operose dierum,
  Quod petis, et voces percipe mente meas.
Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant.
  Adspice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër et quae tria corpora restant,
  Ignis, aquae, tellus, unus acervus erant.
Ut semel haec rerum secessit lite suarum,
  Inque novas abiit massa soluta domos;
Flamma petit altum, propior locus aëra cepit;
  Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, qui fueram globus, et sine imagine moles,
  In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque confusae quondam nota parva figurae,
  Ante quod est in me, postque videtur idem.

Accipe quaesitae quae causa sit altera formae,
Hanc simul ut noris, officiumque meum.
Quidquid ubique vides, coelum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa, patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.
Cum libuit pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidae condita bella serae.
Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis,
It, redit officio Iupiter ipse meo.
Inde vocor Ianus, cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum mixtaque farra sali;
Nomina ridebis. modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.
Vis mea narrata est: causam nunc disce figurae.
Iam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas, hinc atque hinc, ianua frontes;
E quibus haec populum spectat, at illa Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Ianitor egressus introitusque videt;
Sic ego prospicio, coelestis ianitor aulae,
Eoas partes Hesperiasque simul.
Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.

Dixerat: et vultu, si plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore, fassus erat.
Sumsi animum, gratesque Deo non territus egi,
Verbaque sum spectans pauca locutus humum.
Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent; tunc et nova temporis aetas;
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis amicitur vitibus arbos,
Prodit et in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager, et renovatur aratro.
Haec anni novitas iure vocanda fuit.
Quaesieram multis, non multis ille moratus,
Contulit in versus sic sua verba duos.
Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis;
Principium capiunt Phoebus et annus idem.
Post ea mirabar cur non sine litibus esset
Prima dies: Causam percipe, Ianus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.
Mox ego, cur quamvis aliorum numina placem,
Iane tibi primo tura, merumque fero?
Ut per me possis aditum, qui limina servo,
Ad quoscunque velim, inquit, habere Deos.
At cur laeta tuis dicuntur verba calendis,
Et damus alternas, accipimusque preces?

Tunc deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Et primum visam consulit augur avem.
Templa patent, auresque Deum; nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.
Desierat paucis; nec longa silentia feci;
Sed tetigi verbis ultima verba meis:
Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella favo?
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur video; stipis adiice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.
Risit, et, O quam te fallunt tua secula, dixit,
Qui stipe mel sumta dulcius esse putes.
Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix ultra, quo iam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Iupiter angusta vix totus stabat in aede,
Inque Iovis dextro fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse Senator oves.

Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Nec foenum capiti supposuisse, fuit.
Iura dabat populis posito modo Consul aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.
At postquam Fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit summos vertice Roma deos;
Creverunt et opes, et opum furiosa cupido:
Et, cum possideant plurima, plura petunt.
Quaerere ut absumant, absumta requirere certant,
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
In pretio pretium nunc est, dat census honores;
Census amicitias: pauper ubique iacet.
Tu tamen auspicium si sit stipis utile quaeris,
Curque iuvent nostras aera vetusta manus.
Aera dabant olim: melius nunc omen in auro est,
Victaque concedit prisca moneta novae.
Nos quoque templa iuvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea. maiestas convenit ista Deo.
Laudamus veteres, sed nostris utimur annis:
Mos tamen est aeque dignus uterque coli.
Finierat monitus: placidis ita rursus ut ante
Clavigerum verbis adloquor ipse Deum:
Multa quidem didici, sed cur navalis in aere
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses in imagine, dixit;
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis superest: Thuscum rate venit in amnem

Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum.
Coelitibus regnis ab Iove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen,
Dicta fuit Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim formavit in aere,
Hospitis adventum testificata dei.
Ipse solum colui, cuius placidissima laevum
Radit arenosi Thybridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
Nuncupat haec aetas Ianiculumque vocat.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Esset et humanis numina mixta locis.
Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat,
(Ultima de superis illa reliquit humum.)
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat,
Nullus erat iustis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello; pacem postesque tuebar:
Et clavem ostendens, Haec, ait, arma gero.
Presserat ora deus. tunc sic ego nostra resolvi,
Voce mea voces eliciente dei.
Cum tot sint Iani, cur sic sacratus in uno es,
Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii retulit arma Titi.
Utque levis custos, armillis capta Sabinis,
Ad summae Tatium duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,

Arduus in valles et Fora clivus erat.
Et iam contigerat portam, Saturnia cuius
Demserat oppositas insidiosa seras,
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipse meae movi callidus artis opus.
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi,
Sumque repentinas eiaculatus aquas.
Ante tamen gelidis subieci sulfura venis;
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cuius ut utilitas pulsis percepta Sabinis,
Quaeque fuit, tuto reddita forma loco est:
Ara mihi posita est parvo coniuncta sacello;
Haec adolet flammis cum strue farra suis.
At cur pace lates, motisque recluderis armis?
Nec mora; quaesiti reddita causa mihi est.
Ut pateant populo reditus ad bella profecto,
Tota patet demta ianua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit,
Caesareoque diu numine clausus ero.
Dixit, et attollens oculos diversa tuentes,
Aspexit toto quidquid in orbe fuit.
Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, face aeternos, pacem pacisque ministros;
Neve suum, praesta, deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere Fastis,
Sacravere patres hac duo templa die.
Accepit Phoebo Nymphaque Coronide natum,
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Iupiter in parte est. cepit locus unus utrumque:
Iunctaque sunt magno templa nepotis avo.

Lib. I. v. 317–390.

AGONALIA.

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis:
Ianus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potes succinctus causa minister,
Hostia coelitibus quo feriente cadit;
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper Agone? rogas; nec nisi iussus agis.
Pars quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum;
Una sit ut proprio litera demta loco.
An, quia praevisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ipsa notata metu?
Pars etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graia tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo:
Veraque iudicio est ultima causa meo.
Utque ea nunc certa est; ita Rex placare sacrorum,
Numina lanigerae coniuge debet ovis.
Victima, quae dextra cecidit victrice, vocatur.
Hostibus amotis hostia nomen habet.
Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, et puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas
Acta per aequoreas hospita navis aquas.
Tura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui posset violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
Ulta suas merita caede nocentis opes.
Nam sata vere novo teneris lactentia succis,
Eruta setigerae comperit ore suis.
Sus dederat poenas, exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit.
Rode, caper, vitem: tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxae tibi deditus hostis
Spargitur adfuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit; nocuit quoque culpa capellae.
Quid bos, quid placidae commeruistis oves?
Flebat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.
Caerula quem genetrix aegre solata dolentem,
Addidit haec dictis ultima verba suis:
Siste, puer, lacrimas, Proteus tua damna levabit;
Quoque modo repares, quae periere, dabit.
Decipiat ne te versis tamen ille figuris,
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem iuvenis, resolutaque somno
Alligat aequorei brachia capta senis.

Ille suam faciem transformis adulterat arte,
Mox domitus vinclis in sua membra redit.
Oraque caerulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte, requiris, apes?
Obrue mactati corpus tellure iuvenci;
Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Iussa facit pastor, fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.
Poscit ovem fatum. verbenas improba carpsit;
Quas pia dîs ruris ferre solebat anus.
Quid tuti superest; animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolaeque boves?
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.
Quae semel est triplici pro virgine caesa Dianae,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.
Exta canum Triviae vidi libare Sapaeos,
Et quicunque tuas accolit, Haeme, nives.

V. 441–456.

Intactae fueratis aves, solatia ruris;
Adsuetum silvis, innocuumque genus,
Quae facitis nidos, et plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil ista iuvant, quia linguae crimen habetis,
Dîque putant mentes vos aperire suas.
Nec tamen id falsum, nam, dîs ut proxima quaeque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.
Tuta diu volucrum proles, tum denique caesa est,
Iuveruntque deos indicis exta sui.

Ergo saepe suo coniux abducta marito
  Uritur in calidis alba columba focis.
Nec defensa iuvant Capitolia, quo minus anser
  Det iecur in lances, Inachi lauta, tuas.
Nocte deae Nocti cristatus caeditur ales,
  Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Lib. I, 461-586.

CARMENTALIA.

Evander. Cacus.

Proxima prospiciet Tithono nupta relicto
  Arcadiae sacrum pontificale deae.
Te quoque lux eadem, Turni soror, aede recepit;
  Hic ubi Virginea Campus obitur aqua.
Unde petam causas horum, moremque sacrorum?
  Diriget in medio quis mea vela freto?
Ipsa mone, quae nomen habes a carmine ductum,
  Propositoque fave, ne tuus erret honor.
Orta prior luna (de se si creditur ipsi)
  A magno tellus Arcade nomen habet.
Hic fuit Evander: qui, quanquam clarus utroque,
  Nobilior sacrae sanguine matris erat.
Quae simul aetherios animo conceperat ignes,
  Ore dabat vero carmina plena dei.
Dixerat haec nato motus instare, sibique,
  Multaque praeterea, tempore nacta fidem.
Nam iuvenis vera nimium cum matre fugatus
  Deserit Arcadiam, Parrhasiumque larem.
Cui genetrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,

Siste puer lacrimas, ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit;
Sed deus. offenso pulsus es urbe deo.
Nec meriti poenam pateris, sed numinis iram.
Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque, metumque suo.
Nec tamen ut primus, moere mala talia passus,
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus, in Aonia constitit exsul humo.
Passus idem Tydeus, et idem Pegaseus Iason,
Et quos praeterea longa referre mora est.
Omne solum forti patria est; ut piscibus aequor,
Ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi (crede mihi) tempora veris erunt.
Vocibus Evander firmata mente parentis
Nave secat fluctus, Hesperiamque tenet.
Iamque ratem doctae monitu Carmentis in amnem
Egerat, et Thuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti,
Adspicit, et sparsas per loca sola casas.
Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis,
Continuitque manum torva regentis iter.
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam,
Pinea non sano ter pede texta ferit.
Neve daret saltum properans insistere ripae,
Vix est Evandri vixque retenta manu.
Diique petitorum, dixit, salvete locorum,

Tuque novos coelo terra datura deos.
Fluminaque et fontes, quibus utitur hospita tellus,
  Et nemora et silvae, Naiadumque chori.
Este bonis avibus visi natoque mihique,
  Ripaque felici tacta sit ista pede.
Fallor? an hi fient ingentia moenia colles?
  Iuraque ab hac terra caetera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis,
  Quis tantum fati credat habere locum?
Et iam Dardaniae tangent haec litora pinus,
  Hic quoque causa novi femina Martis erit.
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
  Indue. non humili vindice caesus eris.
Victa tamen vinces, eversaque Troia resurges;
  Obruet hostiles ista ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammae:
  Num minus hic toto est altior orbe cinis?
Iam pius Aeneas sacra, et sacra altera patrem
  Afferet, Iliacos accipe, Vesta, deos.
Tempus erit, cum vos, orbemque tuebitur idem:
  Et fient ipso sacra colente deo.
Et penes Augustos patriae tutela manebit:
  Hanc fas imperii frena tenere domum.
Inde nepos natusque dei (licet ipse recuset)
  Pondera coelesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
  Sic Augusta novum Iulia numen erit.
Talibus ut nostros dictis descendit in annos,
  Substitit in medios praescia lingua sonos.
Puppibus egressus Latia stetit exsul in herba.
  Felix, exilium cui locus ille fuit!
Nec mora longa fuit. stabant nova tecta, nec alter

Montibus Ausoniis Arcade maior erat.
Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros
Emensus longi claviger orbis iter.
Dumque huic hospitium domus est Tegeaea, vagantur
Incustoditae laeta per arva boves.
Mane erat; excussus somno Tirynthius hospes
De numero tauros sentit abesse duos.
Nulla videt taciti quaerens vestigia furti,
Traxerat aversos Cacus in antra feros.
Cacus, Aventinae timor atque infamia silvae,
Non leve finitimis, hospitibusque malum.
Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
Grande; pater monstri Mulciber huius erat.
Proque domo longis spelunca recessibus ingens,
Abdita, vix ipsis invenienda feris.
Ora super postes affixaque brachia pendent,
Squalidaque humanis ossibus albet humus.
Servata male parte boum Iove natus abibas:
Mugitum rauco furta dedere sono.
Accipio revocamen, ait; vocemque secutus
Impia per silvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti praestruxerat obiice montis;
Vix iuga movissent quinque bis illud opus.
Nititur hic humeris, (coelum quoque sederat illis)
Et vastum motu collabefactat onus.
Quod simul evulsum est, fragor aethera terruit ipsum,
Ictaque subsedit pondere molis humus.
Prima movet Cacus collata proelia dextra,

Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, et flammas ore sonante vomit.
Quas quoties proflat, spirare Typhoëa credas,
Et rapidum Aetnaeo fulgur ab igne iaci.
Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mixtosque vomit cum sanguine fumos,
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi, Iupiter, unum
Victor, et Evandrum, ruricolasque vocat.
Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri mater, prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo.
At felix vates ut dis gratissima vixit,
Possidet hunc Iani sic dea mense diem.

Lib. II, 83–118.

ARION.

Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Saepe sequens agnam lupus est hac voce retentus:
Saepe avidum fugiens restitit agna lupum:
Saepe canes leporesque umbra cubuere sub una,
Et stetit in saxo proxima cerva leae.
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit; et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
Tamquam fraternis obstupuisse modis.

Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion;
Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventos undamque timebas;
At tibi nave tua tutius aequor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
Caeteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum.
Non sunt haec digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram. capit ille coronam;
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.
Flebilibus veluti numeris canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas.
Spargitur impulsa caerula puppis aqua.
Inde (fide maius) tergo Delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, et aequoreas carmine mulcet aquas.
Di pia facta vident. stellis Delphina recepit
Iupiter, et stellas iussit habere novem.

Lib. II, 193-242.

FABIORUM CLADES.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Haec fuit illa dies, in qua Veientibus arvis
Tercentum Fabii ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat Urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab iisdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portae dextro via proxima Iano est:
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
[Illa fama refert Fabios exisse trecentos.
Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.]
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
(Turbidus hibernis ille fluebat aquis)
Castra loco ponunt: destrictis ensibus ipsi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.
Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones
Invadunt sparsos lata per arva greges.
Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt, Thusco sanguine terra rubet.
Sic iterum, sic saepe cadunt, ubi vincere aperte
Non datur, insidias armaque caeca parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles,
Silvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos, armentaque rara relinquunt:
Caetera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quae Zephyro victa repente fluit,

Per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem discursibus implent,
Quosque vident spernunt, nec metus alter inest.
Quo ruitis, generosa domus? male creditur hosti:
Simplex nobilitas, perfida tela cave.
Fraude perit virtus: in apertos undique campos
Prosiliunt hostes, et latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent?
Sicut aper silvis longe Laurentibus actus
Fulmineo celeres dissipat ore canes;
Mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque, feruntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeae superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis,
Unus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Lib. II, v. 243–266.

CORVUS INTER SIDERA.

Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis,
Et medius Crater inter utrumque iacet.
Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti.

Quae sibi cur tria sint consociata, canam.
Forte Iovi festum Phoebus solemne parabat;
(Non faciet longas fabula nostra moras.)
I mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur,
Et tenuem e vivis fontibus adfer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, et aërium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis.
Tentat eam rostro; non erat apta legi.
Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Iamque satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi causa morae, vivarum obsessor aquarum,
Hic tenuit fontes officiumque meum.
Addis, ait, culpae mendacia, Phoebus, et audes
Fatidicum verbis fallere velle deum?
At tibi dum lactens haerebit in arbore ficus,
De nullo gelidae fonte bibantur aquae.
Dixit, et antiqui monumenta perennia facti,
Anguis, avis, crater, sidera iuncta micant.

Lib. II, v. 533–582.

PARENTALIA.

Est honor et tumulis. animas placate paternas,
Parvaque in extinctas munera ferte pyras.
Parva petunt Manes. pietas pro divite grata est
Munere. non avidos Styx habet ima deos.

Tegula proiectis satis est velata coronis,
Et sparsae fruges, parcaque mica salis:
Inque mero mollita Ceres, violaeque solutae;
Haec habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto: sed et his placabilis umbra est.
Adde preces positis et sua verba focis.
Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.
Ille patris Genio sollemnia dona ferebat;
Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, Parentales deseruere dies.
Non impune fuit: nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo; bustis exisse feruntur,
Et tacitae questi tempore noctis avi.
Perque vias Urbis, Latiosque ululasse per agros
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.
Post ea praeteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.
Dum tamen haec fiunt, viduae cessate puellae:
Expectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris
Aufer: habent alias moesta sepulcra faces.
Di quoque templorum foribus celentur opertis,
Ture vacent arae, stentque sine igne foci.
Nunc animae tenues, et corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo.

Nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.
Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit Tacitae, vix tamen ipsa tacet.
Et digitis tria tura tribus sub limine ponit,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata tenet cum fusco licia rhombo
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque pice adstrinxit, quod acu traiecit ahena,
Obsutum maenae torret in igne caput.
Vina quoque instillat, vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas inimicaque vinximus ora,
Dicit discedens, ebriaque exit anus.

Lib. II. v. 639–684.

TERMINALIA.

Nox ubi transierit solito celebretur honore,
Separat indicio qui deus arva suo.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.
Te duo diversa domini pro parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit, hic ignem curto fert rustica testu
Sumtum de tepidis ipsa colona focis.

Ligna senex minuit, concisaque construit arte;
Et solida ramos figere pugnat humo.
Dum sicco primas irritat cortice flammas;
Stat puer, et manibus lata canistra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii; libantur singula flammis:
Spectant, et linguis candida turba favent.
Spargitur et caesa communis Terminus agna,
Nec queritur, lactens cum sibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex;
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro.
Legitima servas credita rura fide.
Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non leto missa trecenta forent;
Nec foret Othryades congestis lectus in armis.
O quantum patriae sanguinis ille dedit!
Quid nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Iovi cessit turba, locumque dedit.
Terminus (ut veteres memorant) conventus in aede
Restitit, et magno cum Iove templa tenet.
Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, post illud levitas tibi libera non est.
Qua positus fueris in statione, mane.
Nec tu vicino quidquam concede roganti;
Ne videare hominem praeposuisse Iovi.
Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris,

Clamato, Meus est hic ager, ille tuus.
Est via, quae populum Laurentes ducit in agros,
  Quondam Dardanio regna petita duci.
Illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
  Sacra videt fieri sextus ab Urbe lapis.
Gentibus est aliis tellus data limite certo;
  Romanae spatium est Urbis et orbis idem.

Lib. III. v. 99–166.

KALENDAE MARTIAE

veteris anni principium.

Nec totidem veteres, quot nunc, habuere Kalendas,
  Ille minor geminis mensibus annus erat.
Nondum tradiderat victas victoribus artes,
  Graecia, facundum, sed male forte genus.
Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem:
  Mittere qui poterat pila, disertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas
  Senserat, aut geminos esse sub axe polos?
Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
  Sidoniis, Helicen Graia carina notet?
Signaque, quae longo frater percenseat anno,
  Ire per haec uno mense sororis equos?
Libera currebant et inobservata per annum
  Sidera: constabat sed tamen esse deos.
Non illi coelo labentia signa movebant,
  Sed sua, quae magnum perdere crimen erat.
Illaque de foeno, sed erat reverentia foeno,
  Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles, et adhuc ratione carentes
Mensibus egerunt lustra minora decem.
Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem;
Hic numerus magno tunc in honore fuit:
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus;
Seu quia bis quino femina mense parit;
Seu quod ad usque decem numero crescente venitur,
Principium spatiis sumitur inde novis.
Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus, Hastatos instituitque decem,
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.
Quin etiam partes totidem Titiensibus idem,
Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.
Adsuetos igitur numeros servavit in anno;
Hoc luget spatio femina moesta virum.
Neu dubites, primae fuerint quin ante Kalendae
Martis; ad haec animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus, quae toto perstitit anno,
Tollitur, et frondes sunt in honore novae.
Ianua tunc regis posita viret arbore Phoebi,
Ante tuas itidem, Curia Prisca, fores.
Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcana fieri novus ignis in aede
Dicitur, et vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores,
Anna quod hoc coepta est mense Perenna coli.

Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Poene, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis, et inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet.
Primus oliviferis Romam deductus ab arvis,
Pompilius menses sensit abesse duos,
Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat; Egeria sive monente sua.
Sed tamen errabant etiam tum tempora, donec
Caesaris in multis haec quoque cura fuit.
Non haec ille deus, tantaeque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis.
Promissumque sibi voluit praenoscere coelum,
Nec deus ignotas hospes inire domos.
Ille moras solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos tercentum et quinque diebus
Iunxit, et e pleno tempora quarta die.
Hic anni modus est in lustrum accedere debet,
Quae consummatur partibus, una dies.

Lib. III, v. 167-230.

MATRONALIA.

Sabinarum virginum raptus.

Si licet occultos monitus audire deorum,
Vatibus, ut certe fama licere putat,
Cum sis officiis, Gradive, virilibus aptus;
Dic mihi matronae cur tua festa colant.
Sic ego: sic posita dixit mihi casside Mavors;

Sed tamen in dextra missilis hasta fuit.
Nunc primum studiis pacis, deus utilis armis,
  Advocor, et gressus in nova castra fero.
Nec piget incepti. iuvat hac quoque parte morari.
  Hoc solam ne se posse Minerva putet.
Disce, Latinorum vates operose dierum,
  Quod petis, et memori pectore dicta nota.
Parva fuit, si prima velis elementa referre,
  Roma; sed in parva spes tamen huius erat.
Moenia iam stabant populis angusta futuris:
  Credita sed turbae tunc nimis ampla suae.
Quae fuerit nostri, si quaeris regia nati,
  Adspice de canna, straminibusque domum.
In stipula placidi carpebat munera somni:
  Et tamen ex illo venit in astra toro.
Iamque loco maius nomen Romanus habebat,
  Nec coniux illi, nec socer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives,
  Et male credebar sanguinis auctor ego.
In stabulis habitasse, et oves pavisse, nocebat;
  Iugeraque inculti pauca tenere soli.
Cum pare quaeque suo coëunt volucresque feraeque;
  Atque aliquam de qua procreet, anguis habet.
Externis dantur connubia gentibus: at, quae
  Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui, patriamque dedi tibi, Romule, mentem.
  Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Festa para Conso: Consus tibi caetera dicet;
  Ipse festa die dum sua sacra canes.
Intumuere Cures, et quos dolor attigit idem.

Tum primum generis intulit arma socer.
Iamque fere raptae matrum quoque nomen habebant,
Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptae dictam Iunonis in aedem,
Quas inter mea sic est nurus orsa loqui.
O pariter raptae (quoniam hoc commune tenemus)
Non ultra lente possumus esse piae.
Stant acies, sed utra di sint pro parte rogandi,
Eligite. hinc coniunx, hinc pater arma tenent.
Quaerendum est, viduae fieri malimus, an orbae:
Consilium vobis forte, piumque dabo.
Consilium dederat: parent, crinemque resolvunt,
Moestaque funerea corpora veste tegunt.
Iam stabant acies ferro, mortique paratae,
Iam lituus pugnae signa daturus erat:
Cum raptae veniunt inter patresque, virosque,
Inque sinu natos, pignora cara, tenent.
Ut medium campi passis tetigere capillis,
In terram posito procubuere genu.
Et, quasi sentirent, blando clamore nepotes,
Tendebant ad avos brachia parva suos.
Qui poterat, clamabat avum, tum denique visum:
Et qui vix poterat, posse coactus erat.
Tela viris, animusque cadunt, gladiisque remotis
Dant soceri generis, accipiuntque manus.
Laudatasque tenent natas, scutoque nepotem
Fert avus: hic scuti dulcior usus erat.
Inde diem, quae prima, meas celebrare Kalendas
Oebalides matres non leve munus habent.

Lib. III. v. 259–392.

SALIORUM ORIGO.

Quis mihi nunc dicat, quare coelestia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant?
Nympha, mone nemori stagnoque adoperta Dianae,
Nympha, Numae coniux, ad tua festa veni.
Vallis Aricinae silva praecinctus opaca
Est lacus, antiqua religione sacer.
Hic latet Hippolytus furiis direptus equorum,
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent, longas velantia sepes,
Et posita est meritae multa tabella deae.
Saepe potens voti, frontem redimita coronis,
Femina lucentes portat ab Urbe faces.
Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces;
Et perit exemplo postmodo quisque suo.
Defluit incerto lapidosus murmure rivus:
Saepe, sed exiguis haustibus, inde bibas.
Egeria est, quae praebet aquas, dea grata Camenis.
Illa Numae coniux, consiliumque fuit.
Principio nimium promptos ad bella Quirites
Molliri placuit iure deumque metu.
Inde datae leges, ne firmior omnia posset,
Coeptaque sunt pure tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius aequum est,
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis, modo trux, visa iam vertitur ara;

Vinaque dat tepidis salsaque farra focis.
Ecce deum genitor rutilas per nubila flammas
Spargit, et effusis aethera siccat aquis.
Non alias missi cecidere frequentius ignes.
Rex pavet, et vulgi pectora terror habet.
Cui dea, Ne nimium terrere; piabile fulmen
Est, ait, et saevi flectitur ira Iovis.
Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi
Tradere, Romani numen uterque soli.
Nec sine vi tradent. adhibeto vincula captis,
Atque ita, qua possint, erudit, arte capi.
Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere, Numen inest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquae.
Inde fere soli Faunus Picusque bibebant,
Huc venit, et fonti rex Numa mactat ovem.
Plenaque odorati dis ponit pocula Bacchi,
Cumque suis antro conditus ipse latet.
Ad solitos veniant silvestria numina fontes,
Et relevant multo pectora sicca mero.
Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro,
Vinclaque sopitas addit in arta manus.
Somnus ut abscessit tentando vincula pugnant
Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.
Tum Numa: Dii nemorum factis ignoscite nostris,
Si scelus ingenio scitis abesse meo.
Quoque modo possit fulmen, monstrate, piari.
Sic Numa: sic quatiens cornua Faunus ait:
Magna petis; nec quae monitu tibi dicere nostro

Fas sit; habent fines numina nostra suos.
Dî sumus agrestes, et qui dominemur in altis
Montibus, arbitrium est in sua tela Iovi.
Hunc tu non poteris per te deducere coelo;
At poteris nostra forsitan usus ope.
Dixerat haec Faunus; par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Iupiter huc veniet, valida deductus ab arte,
Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi, quid agant laqueis, quae carmina dicant;
Quaque trahant superis sedibus arte Iovem,
Scire nefas homini. nobis concessa canantur,
Quaeque pio disci vatis ab ore licet.
Eliciunt coelo te, Iupiter, unde minores,
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Constat Aventinae tremuisse cacumina silvae,
Terraque subsedit pondere pressa Iovis.
Corda micant regis, totoque e pectore sanguis
Fugit, et hirsutae diriguere comae.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
Fulminis, altorum rexque paterque deum:
Si tua contigimus manibus donaria puris:
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Adnuit oranti: sed verum ambage remota
Abdidit, et dubio terruit ore virum.
Caede caput, dixit. cui rex, Parebimus, inquit;
Caedenda est hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis: Summos, ait ille, capillos.
Postulat hic animam: cui Numa, Piscis, ait.
Risit, et, His, inquit, facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende meo.
Sed tibi, protulerit cum totum crastinus orbem

Cynthius, imperii pignora certa dabo.
Dixit, et ingenti tonitru super aethera motum
Fertur, adorantem destituitque Numam.
Ille redit laetus, memoratque Quiritibus acta,
Tarda venit dictis, difficilisque fides.
At certe credemur, ait, si verba sequatur
Exitus. en, audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris cum totum Cynthius orbem,
Iupiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissaque tarda videntur,
Dependetque fides a veniente die.
Mollis erat tellus, rorata mane pruina,
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit, et in solio medius consedit acerno,
Innumeri circa stantque silentque viri.
Ortus erat summo tantum modo margine Phoebus;
Sollicitae mentes speque metuque pavent.
Constitit, atque caput niveo velatus amictu,
Iam bene dîs notas sustulit ille manus.
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit:
Pollicitam dictis, Iupiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum iam Sol emerserat orbem,
Et gravis aetherio venit ab axe fragor.
Ter sonuit sine nube deus, tria fulgura misit.
Credite dicenti; mira, sed acta, loquor.
A media coelum regione dehiscere coepit;
Submisere oculos cum duce turba suo.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit. a populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus caesa prius ille iuvenca,
Quae dederat nulli colla premenda iugo.

Idque ancile vocat; quod ab omni parte recisum est,
Quemque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum, memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multae calliditatis init.
Plura iubet fieri simili caelata figura;
Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius morum fabraene exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete praemia, dixit,
Si mea nota fides; irrita nulla petes.
Iam dederat Saliis (a saltu nomina ducunt)
Armaque, et ad certos verba canenda modos.
Cum sic Mamurius, Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Praemia persolvunt, Mamuriumque vocant.

Lib. III, v. 523-656.

ANNA PERENNA.

Idibus est Annae festum geniale Perennae,
Non procul a ripis, advena Thybri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quisque sua.
Sub Iove pars durat; pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars ubi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.

Sole tamen, vinoque calent, annosque precantur,
  Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos:
  Quae sit per calices facta Sybilla suos.
Illic et cantant quidquid didicere theatris;
  Et iactant faciles ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas,
  Multaque diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant; et sunt spectacula vulgo:
  Et fortunatos obvia turba vocant.
Occurri nuper. visa est mihi digna relatu
  Pompa: senem potum pota trahebat anus.
Quae tamen haec dea sit (quoniam rumoribus errant),
  Fabula proposito nulla tacenda meo,
Arserat Aeneae Dido miserabilis igne;
  Arserat exstructis in sua fata rogis.
Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
  Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Praebuit Aeneas et caussam mortis, et ensem;
  Ipsa sua Dido concidit usa manu.
Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum,
  Et potitur capta Maurus Iarba domo.
Seque memor spretum, Thalamis tamen (inquit) Elissae,
  En ego, quem toties repulit illa, fruor.
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim
  Amisso dubiae rege vagantur apes.
Tertia nudandas acceperat area messes,
  Inque cavos ierant tertia musta lacus;

Pellitur Anna domo; lacrimansque sororia linquit
  Moenia, germanae iusta dat ante suae.
Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae;
  Vertice libatas accipiuntque comas.
Terque, Vale, dixit: cineres ter ad ora relatos
  Pressit, et est illis visa subesse soror.
Nacta ratem, comitemque fugae, pede labitur aequo,
  Moenia respiciens, dulce sororis opus.
Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae
  Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto.
  Hospes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui postquam didicit casus utriusque sororis,
  Haec, inquit, tellus quantulacunque, tua est.
Et tamen hospitii servasset ad ultima munus,
  Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensebat bis Sol sua; tertius ibat
  Annus, et exsulibus terra petenda nova est.
Frater adest, belloque petit. rex arma perosus,
  Nos sumus imbelles, tu fuge sospes, ait.
Iussa facit, ventoque ratem committit et undis,
  Asperior quovis aequore frater erat.
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
  Purus ager, Cameren incola turba vocant.
Illuc cursus erat. nec longius abfuit inde,
  Quam quantum novies mittere funda potest.
Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura.
  Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant torto subducere carbasa lino,
  Percutitur rapido puppis adunca Noto.

Inque patens aequor, frustra pugnante magistro,
Fertur, et ex oculis visa refugit humus.
Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, et canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento; nec iam moderator habenis
Utitur; at votis: hic quoque poscit opem.
Iactatur tumidas exsul Phoenissa per undas,
Humidaque opposita lumina veste tegit.
Tum primum Dido felix est dicta sorori,
Et quaecunque aliquam corpore pressit humum.
Ducitur ad Laurens ingenti flamine litus
Puppis, et expositis omnibus, hausta perit.
Iam pius Aeneas regno, nataque Latini
Auctus erat, populos miscueratque duos.
Litore dotali, solo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adspicit errantem, nec credere sustinet Annam
Esse, quid in Latios illa veniret agros?
Dum secum Aeneas: Anna est, exclamat Achates,
Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Quo fugiat? quid agat? quos terrae quaerat hiatus?
Ante oculos miserae fata sororis erant.
Sensit, et adloquitur trepidam Cythereius heros;
Flet tamen admonitu mortis, Elisa, tuae.
Anna, per hanc iuro, quam quondam audire solebas
Tellurem fato prosperiore dari;
Perque deos comites hac nuper sede locatos;
Saepe meas illos increpuisse moras.
Nec timui de morte tameu; metus abfuit iste.

Hei mihi! credibili fortior illa fuit.
Ne refer. adspexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas ausus adire domos.
At tu seu ratio te nostris adpulit oris,
Sive deus; regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Elissae,
Nomine grata tuo, grata sororis, eris.
Talia dicenti (nec enim spes altera restat)
Credidit, èrrores exposuitque suos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus,
Incipit Aeneas: (caetera turba silet)
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia coniux
Est mihi, consumsi naufragus huius opes.
Orta Tyro, regnum Libyca possedit in ora,
Quam precor ut carae more sororis ames.
Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, dissimulatque fremens.
Donaque cum videat praeter sua lumina ferri
Multa palam; mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid agat. furialiter odit,
Et parat insidias, et cupit ulta mori.
Nox erat: ante torum visa est adstare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta coma,
Et, Fuge, ne dubita, moestum fuge dicere tectum,
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exsilit, et velox humili super arva fenestra
Se iacit. audacem fecerat ipse timor.
Quaque metu rapitur, tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros

Quaeritur. adparent signa, notaeque pedum.
Ventum erat ad ripas; inerant vestigia ripis,
 Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, Placidi sum Nympha Numici,
 Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis laeti vescuntur in agris,
 Et celebrant largo seque diemque mero.

Lib. III. v. 713–790.

LIBERALIA.

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho,
 Bacche, fave vati, dum tua festa cano.
Nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum
 Iupiter adferret, parvus inermis eras:
Nec puer ut posses maturo tempore nasci,
 Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas et Scythicos longum est narrare triumphos,
 Et domitas gentes turifer Inde tuas.
Tu quoque Thebanae mala praeda tacebere matris,
 Inque tuum furiis acte Lycurge genu.
Ecce libet subitos pisces, Tyrrhenaque monstra
 Dicere; sed non est carminis huius opus.
Carminis huius opus, causas expromere; quare
 Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus arae sine honore fuerunt,
 Liber, et in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,

Primitias magno seposuisse Iovi.
Cinnama tu primus, captivaque tura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bove.
Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque: quod sanctis pars datur inde focis.
Liba deo fiunt: succis quia dulcibus idem
Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso Satyris comitatus ab Hebro,
(Non habet ingratos fabula nostra iocos)
Iamque erat ad Rhodopen, Pangaeaque flumina ventum,
Aeriferae comitum concrepuere manus;
Ecce novae coëunt volucres, tinnitibus actae,
Quaque movent sonitus aera, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
Liber, et inventi praemia mellis habet.
Ut Satyri, levisque senex tetigere saporem;
Quaerebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exesa stridorem examinis ulmo;
Adspicit et ceras, dissimulatque senex.
Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Applicat hunc ulmo, corticibusque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, et vertice nudo
Spiculaque defigunt, oraque summa notant.
Ille cadit praeceps, et calce feritur aselli,
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. percusso claudicat ille genu.
Ridet et ipse deus, limumque inducere monstrat.
Hic paret monitis, et linit ora luto.

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
 Iure repertori candida mella damus.
Femina cur presset, non est rationis opertae:
 Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat quaeris? vinosior aetas
 Haec est, et gravidae munera vitis amans.
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Baccho.
 Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
 Hanc frondem cunis adposuere novis.
Restat, ut inveniam, quare toga libera detur,
 Lucifero pueris candide Bacche tuo.
Sive quod ipse puer semper, iuvenisque videris,
 Et media est aetas inter utrumque tibi.
Seu quia tu pater es, patres, sua pignora, natos
 Commendant curae numinibusque tuis.
Sive quod es Liber, iustis quoque libera per te
 Sumitur et vitae liberioris iter.
Aut quia cum colerent prisci studiosius agros,
 Et patrio faceret rure Senator opus,
Et caperet fasces a curvo consul aratro,
 Nec crimen duras esset habere manus;
Rusticus ad ludos populus veniebat in urbem:
 Sed dis, non studiis ille dabatur honos.
Luce sua ludos uvae commentor habebat,
 Quos cum taedifera nunc habet ipse dea.
Ergo, ut tironem celebrare frequentia posset,
 Visa dies dandae non aliena togae.
Mite, Pater, caput huc, placataque cornua vertas,
 Et des ingenio vela secunda meo.

Lib. III, v. 809-876.

QUINQUATRUS.

Aries inter sidera.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervae,
Nominaque a iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat; nec fas concurrere ferro,
Causa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super strata celebrantur arena,
Ensibus exsertis bellica laeta dea est.
Pallada nunc pueri, teneraeque ornate puellae.
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placata lanam mollite, puellae:
Discite iam plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, et rarum pectine densat opus.
Hanc cole, qui maculas laesis de vestibus aufers:
Hanc cole velleribus quisquis ahena paras.
Nec quisquam invita faciet bene vincula plantae
Pallade, sit Tychio doctior ille licet.
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior; irata Pallade mancus erit.
Vos quoque, Phoebea morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte deae.
Nec vos turba fere censu fraudata magistri
Spernite, discipulos attrahit illa novos.
Quique moves coelum tabulamque coloribus uris,
Quique facis docta mollia saxa manu.
Mille dea est operum: certe dea carminis illa est;
Si mereor, studiis adsit amica meis.

Coelius ex alto qua mons descendit in aequum,
　Hic ubi non plana est, sed prope plana via est:
Parva licet videas Captae delubra Minervae,
　Quae dea natali cepit habere suo.
Nominis in dubio causa est, capitale vocamus
　Ingenium solers: ingeniosa dea est.
An, quia de capitis fertur sine matre paterni
　Vertice cum clypeo prosiluisse suo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Faliscis
　Venit, et hoc signo litera prisca docet?
An, quod habet legem, capitis quae pendere poenas
　Ex illo iubeat furta reperta loco.
A quacunque trahas ratione vocabula, Pallas;
　Pro Ducibus nostris aegida semper habe.
Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
　Admonet, et forti sacrificare deae.
Nunc potes ad solem sublato dicere vultu;
　Hic here Phrixeae vellera pressit ovis.
Seminibus tostis sceleratae fraude novercae
　Sustulerat nullas, ut solet, herba comas.
Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet,
　Quam sterili terrae Delphicus edat opem.
Hic quoque corruptus, pro semine, nuntiat Helles,
　Et iuvenis Phryxi funera forte peti.
Utque recusantem cives, et tempus, et Ino
　Compulerant regem iussa nefanda pati;
Et soror, et Phryxus velati tempora ramis
　Stant simul ante aras, iunctaque fata gemunt.
Adspicit hos, ut forte pependerat aethere, mater,

Et ferit attonita pectora nuda manus.
Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
Desilit, et natos eripit inde suos.
Utque fugam rapiant, aries nitidissimus auro
Traditur. ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Femina, cum de se nomina fecit aquae.
Pene simul periit, dum vult succurrere lapsae
Frater, et extentas porrigit usque manus.
Flebat, ut amissa gemini consorte pericli,
Caeruleo iunctam nescius esse deo.
Litoribus tactis aries fit sidus: at huius
Pervenit in Colchas aurea lana domos.

Lib. IV, v. 247–348.

MAGNA MATER ROMAM
advecta.

Hoc quoque, dux operis, moneas, precor; unde petita
Venerit, an nostra semper in Urbe fuit?
Dindymon, et Cybelen et amoenam fontibus Iden
Semper, et Iliacas mater amavit opes.
Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros,
Est dea sacriferas paene secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua nomina posci
Senserat, adsuetis substiteratque locis.
Post, ut Roma potens opibus iam secula quinque
Vidit, et e domito sustulit orbe caput;

Carminis Euboici fatalia verba sacerdos
  Inspicit. inspectum tale fuisse ferunt:
Mater abest, Matrem iubeo, Romane, requiras.
  Cum veniet, casta est accipienda manu.
Obscurae sortis patres ambagibus errant,
  Quaeve parens absit, quove petenda loco.
Consulitur Paean: divumque arcessite Matrem,
  Inquit: in Idaeo est invenienda iugo.
Mittuntur proceres. Phrygiae tum sceptra tenebat
  Attalus; Ausoniis rem negat ille viris.
Mira canam, longo tremuit cum murmure tellus;
  Et sic est adytis diva locuta suis:
Ipsa peti volui. ne sit mora: mitte volentem:
  Dignus Roma locus, quo deus omnis eat.
Ille soni terrore pavens, Proficiscere dixit.
  Nostra eris. in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumerae caedunt pineta secures,
  Illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat,
Mille manus coëunt, et picta coloribus ustis
  Coelestum matrem concava puppis habet.
Illa sui per aquas fertur tutissima nati,
  Longaque Phrixeae stagna sororis adit,
Rhoeteumque rapax Sigeaque litora transit,
  Et Tenedum veteres Eëtionis opes.
Cyclades excipiunt, Lesbo post terga relicta;
  Quaque Caristeis frangitur unda vadis.
Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas
  Icarus, et vastae nomina fecit aquae.
Tum laeva Creten, dextra Pelopeidas undas
  Deserit, et Veneri sacra Cythera petit.

Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontes et Steropes, Acmonidesque solent:
Aequoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris
Prospicit a remis, Ausoniamque tenet.
Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, et campo liberiore natat.
Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe senatus
Obvius ad Thusci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, nataeque, nurusque,
Quaeque colunt sanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia lassant,
Vix tulit adversas hospita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas:
Sedit limoso fessa carina vado:
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat;
Adiuvat et fortes voce sonante manus.
Illa velut medio stabilis sedet insula ponto,
Attoniti monstro stantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit.
Casta quidem, sed non et credita, rumor iniquus
Laeserat, et falsi criminis acta rea est.
Cultus, et ornatis varie prodisse capillis,
Obfuit: ad rigidos promtaque lingua senes.
Conscia mens recti famae mendacia risit,
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Haec ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit ad aethera palmas:
Quicunque adspiciunt, mente carere putant.
Submissoque genu, vultus in imagine divae

Fixit, et hos edit crine iacente sonos.
Supplicis alma tuae genetrix fecunda deorum,
Accipe sub certa conditione preces.
Casta negor. si tu damnas, meruisse fatebor,
Morte luam poenas iudice victa dea.
Sed si crimen abest, tu nostrae pignora vitae
Re dabis, et castas casta sequere manus.
Dixit, et exiguo funem conamine traxit:
Mira, sed et scena testificata loquar.
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo,
Index laetitiae fertur in astra sonus.
Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.
Nox aderat; querno religant a stipite funem:
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat; querno solvunt a stipite funem;
Ante tamen posito tura dedere foco.
Ante coronata puppi sine labe iuvencam
Mactarunt, operum coniugiique rudem.
Est locus in Tiberin, qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lavit aquis.
Exululant comites, furiosaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia praecedit laeto celeberrima vultu,
Credita vix tandem teste pudica dea.
Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena,
Sparguntur iunctae flore recente boves.
Nasica accepit: templi tunc exstitit auctor.
Augustus nunc est, ante Metellus erat.

Lib. IV. v. 389-620.

CEREALIA.

Proserpina rapta.

Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phoebo stella fugata locum;
Circus erit pompa celebrer, numeroque deorum;
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi: non est opus indice causae,
Sponte deae munus, promeritumque patent.
Messis erant primis virides mortalibus herbae,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulae tenera fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. bene erat iam glande reperta,
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa iugo tauros collum praebere coëgit,
Tum primum soles eruta vidit humus.
Aes erat in pretio: chalybeïa massa latebat:
Heu quam perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres laeta est. at vos optate, coloni,
Perpetuam pacem perpetuumque Ducem.
Farra deae, micaeque licet salientis honorem
Detis, et in veteres turea grana focos.
Et si tura aberunt, unctas accendite taedas,
Parva bonae Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri,
Bos aret: ignavam sacrificate suem.

Apta iugo cervix non est ferienda securi,
Vivat, et in dura saepe laboret humo.
Exigit ipse locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognosces: pauca docendus eris.
Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
Trinacris; a positu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri. multas ibi possidet urbes;
In quibus est culto fertilis Henna solo.
Frigida coelestum matres Arethusa vocarat,
Venerat ad sacras et dea flava dapes.
Filia, consuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est adspergine multa
Uvidus, ex alto desilientis aquae.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores,
Pictaque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul adspexit: Comites, accedite, dixit,
Et mecum vestros flore replete sinus.
Praeda, puellares animos prolectat inanis,
Et non sentitur sedulitate labor.
Haec implet lento calathos e vimine textos:
Haec gremium; laxos degravat illa sinus,
Illa legit calthas; huic sunt violaria curae;
Illa papavereas subsecat ungue comas.
Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris:
Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant.
Plurima lecta rosa est; sunt et sine nomine flores.
Ipsa crocos tenues liliaque alba legit,
Carpendi studio paulatim longius itur,
Et dominam casu nulla secuta comes.
Hanc videt, et visam patruus velociter aufert,

Regnaque caeruleis in sua portat equis.
Illa quidem clamabat, Io, carissima mater,
Auferor, ipsa suos absciderat que sinus.
Panditur interea Diti via; iamque diurnum
Lumen inadsueti vix patiuntur equi.
At chorus aequalis, cumulatis flore canistris,
Persephone, clamant, ad tua dona veni.
Ut clamata silet, montes ululatibus implent;
Et feriunt moestae pectora nuda manus.
Attonita est plangore Ceres; modo venerat Hennam;
Nec mora, Me miseram, filia, dixit, ubi es?
Mentis inops rapitur, quales audire solemus
Threïcias fusis Maenadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quaerit foetus per nemus omne suos;
Sic dea: nec retinet gemitus, et concita cursu
Fertur, et e campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta est vestigia plantae,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies errori summa fuisset,
Si non turbassent signa reperta sues.
Iamque Leontinos Amenanaque flumina cursu
Praeterit, et ripas, herbifer Aci, tuas.
Praeterit et Cyanen, et fontem lenis Anapi,
Et te, vorticibus non adeunde Gela.
Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque,
Quaque Simetheas accipit aequor aquas,
Antraque Cyclopum positis exusta caminis,
Quique locus curvae nomina falcis habet:
Himeraque, et Didymen, Acragantaque, Tauromenonque,

Sacrorumque Melan pascua laeta boum.
Hinc Camerinan adit, Thapsonque, et Heloria Tempe,
Quaque patet Zephyro semper apertus Eryx.
Iamque Peloriaden, Lilybeaque, iamque Pachynon
Lustrarat, terrae cornua trina suae
Quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet: ut amissum cum gemit ales Ityn.
Perque vices modo, Persephone, modo, Filia, clamat.
Clamat, et alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem, neque filia matrem
Audit, et alternis nomen utrumque perit.
Unaque, pastorem vidisset an arva colentem,
Vox erat, hac gressus si qua puella tulit?
Iam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia; iam vigiles conticuere canes.
Alta iacet vasti super ora Typhoëos Aetne,
Cuius anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus;
Hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur.
Est specus exesi structura pumicis asper,
Non homini regio, non adeunda ferae:
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Iungit, et aequoreas sicca pererrat aquas.
Effugit et Syrtes, et te, Zanclaea Charybdi,
Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes.
Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthon,

Sic venit ad portus Attica terra tuos.
Hic primum sedit gelido moestissima saxo,
Illud Cecropidae nunc quoque triste vocant.
Sub Iove duravit multis immota diebus,
Et Lunae patiens, et pluvialis aquae.
Fors sua cuique loco est. quo nunc Cerealis Eleusin,
Dicitur, hoc Celei rura fuisse senis.
Ille domum glandes, excussaque mora rubetis
Portat, et arsuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat rupe capellas,
Et tener in cunis filius aeger erat.
Mater, ait virgo, (mota est dea nomine matris)
Quid facis in solis incomitata iugis?
Restitit et senior, quamvis onus urguet, et orat,
Tecta suae subeat quantulacunque casae.
Illa negat; (simularat anum, mitraque capillos
Presserat) instanti talia dicta refert:
Sospes eas, semperque parens: mihi filia rapta est.
Heu melior quanto sors tua sorte mea!
Dixit, et ut lacrimae (neque enim lacrimare deorum est)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter, molles animi, virgoque, senexque,
E quibus haec iusti verba fuere senis:
Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes,
Surge, nec exiguae despice tecta casae.
Cui Dea: Duc, inquit: scisti, qua cogere posses,
Seque levat saxo, subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger,
Nec capiat somnos, invigiletque malis.
Illa soporiferum parvos initura penates

Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quae quia principio posuit ieiunia noctis,
Tempus habent Mystae sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena.
Iam spes in puero nulla salutis erat.
Matre salutata (mater Metanira vocatur)
Iungere dignata est os puerile suo.
Pallor abit, subitaeque vigent in corpore vires.
Tantus coelesti venit ab ore vigor.
Tota domus laeta est, hoc est, materque, paterque,
Nataque: tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaque, et in teneris aurea mella favis.
Abstinet alma Ceres, somnique papavera causas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium, placidique silentia somni,
Triptolemum gremio sustulit illa suo.
Terque manu permulsit eum; tria carmina dixit;
Carmina mortali non referenda sono.
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stulte pia mater, et amens,
Quid facis? exclamat; membraque ab igne rapit.
Cui dea: Dum non es, dixit, scelerata fuisti;
Irrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit; sed primus arabit,
Et seret, et culta praemia tollet humo.
Dixit: et egrediens nubem trahit, inque dracones
Transit, et aligero tollitur axe Ceres.

Sunion expositum, Piraeaque tuta recessu
  Linquit, et in dextrum quae iacet ora latus.
Hinc adit Aegaeum, quo Cycladas adspicit omnes;
  Ioniumque rapax, Icariumque legit.
Perque urbes Asiae longum petit Hellespontum,
  Diversumque locis alta pererrat iter.
Nam modo turilegos Arabas, modo despicit Indos,
  Hinc Libys, hinc Meroë, siccaque terra subest.
Nunc adit Hesperios, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,
  Teque, future parens, Thybri, potentis aquae.
Quo feror? immensum est erratas dicere terras:
  Praeteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat et in coelo: liquidique immunia ponti
  Adloquitur, gelido proxima signa polo.
Parrhasides stellae, (namque omnia nosse potestis,
  Aequoreas nunquam cum subeatis aquas)
Persephonem miserae natam monstrate parenti:
  Dixerat. huic Helice talia verba refert:
Crimine nox vacua est. Solem de virgine rapta
  Consule, qui late facta diurna videt.
Sol aditus, Quam quaeris, ait, ne vana labores,
  Nupta Iovis fratri tertia regna tenet.
Questa diu secum sic est adfata Tonantem,
  (Maximaque in vultu signa dolentis erant)
Si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata,
  Dimidium curae debet habere tuae.
Orbe pererrato, sola est iniuria facti
  Cognita: commissi praemia raptor habet.
At neque Persephone digna est praedone marito,

Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tulissem,
Quam nunc, te coeli sceptra tenente, tuli?
Verum impune ferat: nos haec patiamur inultae.
Reddat, et emendet facta priora novis.
Iupiter hanc lenit, factumque excusat amore;
Nec gener est nobis ille pudendus, ait;
Non ego nobilior. posita est mihi regia coelo,
Possidet alter aquas; alter inane Chaos.
Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
Statque semel iuncti rumpere vincla tori;
Hoc quoque tentemus, siquidem ieiuna remansit:
Sin minus; inferni coniugis uxor erit.
Tartara iussus adit sumtis Caducifer alis,
Speque redit citius, visaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit ieiunia granis,
Punica quae lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Moesta parens; longa vixque refecta mora est.
Atque ita, Nec nobis coelum est habitabile, dixit,
Taenaria recipi me queque valle iube.
Et factura fuit; pactus nisi Iupiter esset,
Bis tribus ut coelo mensibus illa foret.
Tunc demum vultusque Ceres, animumque recepit,
Imposuitque suae spicea serta comae.
Largaque provenit cessatis messis in arvis,
Et vix congestas area cepit opes.
Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris usus abest.

Lib. IV, v. 679-712.

VULPES CERERI

combusta.

Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missae vinctis ardentia taedis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi.
Frigida Carseoli, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam;
Parva, sed assiduis uvida semper aquis.
Hospitis antiqui solitas intravimus aedes,
Demserat emeritis iam iuga Phoebus equis.
Is mihi multa quidem, sed et haec, narrare solebat,
Unde meum praesens instrueretur opus:
Hoc, ait, in campo (campumque ostendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum; sive usus aratri,
Sive cavae falcis, sive bidentis erat.
Haec modo verrebat stantem tibicine villam;
Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos;
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis,
Adversumque minas frigoris arma parat.
Filius huius erat primo lascivus in aevo,
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem sub valle salicti:
Abstulerat multas illa cohortis aves.

Captivam stipula foenoque involuit, et ignes
Admovet. urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit: monumenta manent. nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat poenas gens haec, Cerealibus ardet:
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Lib. IV, v. 721-806.

PALILIA.

Nox abiit, oriturque Aurora. Palilia poscor:
Non poscor frustra, si favet alma Pales.
Alma Pales faveas pastoria sacra canenti,
Prosequor officio si tua festa pio.
Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales
Saepe tuli plena, februa casta, manu.
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas,
Virgaque roratas laurea misit aquas.
Mota dea est, operique favet. navalibus exi,
Puppis: habent ventos iam mea vela suos.
I, pete virginea, populus, suffimen ab ara,
Vesta dabit, Vestae munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit vitulique favilla,
Tertia res, durae culmen inane fabae.
Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra,
Uda prius spargat, virgaque verrat humum.

Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Caerulei fiant vivo de sulfure fumi,
Tactaque fumanti sulfure balet ovis.
Ure mares oleas, taedamque, herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur:
Rustica praecipue hoc dea laeta cibo est.
Adde dapes mulctramque suas, dapibusque refectis
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, dic, pecori pariter, pecorisque magistris;
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Sive sacro pavi, sedive sub arbore sacra,
Pabulaque e bustis inscia carpsit ovis:
Seu nemus intravi vetitum, nostrisve fugatae
Sunt oculis Nymphae, semicaperve deus.
Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est aegrae fiscina frondis ovi:
Da veniam culpae; nec, dum degrandinat, obsit
Agresti fano supposuisse pecus.
Nec noceat turbasse lacus. ignoscite Nymphae,
Mota quod obscuras ungula fecit aquas.
Tu, dea, pro nobis fontes, fontanaque placa
Numina; tu sparsos per nemus omne deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianae,
Nec Faunum, medio cum premit arva die.
Pelle procul morbos, valeant hominesque, gregesque,
Et valeant vigiles, provida turba, canes,

Neve minus multo redigam, quam mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames, herbae frondesque supersint,
Quaeque lavent artus, quaeque bibantur aquae.
Ubera plena premam, referat mihi caseus aera,
Dentque viam liquido vimina rara sero.
Sitque salax aries, conceptaque femina coniux
Reddat, et in stabulo multa sit agna meo.
Lanaque proveniat nullas laesura puellas,
Mollis, et ad teneras quamlibet apta manus.
Quae precor, eveniant, et nos faciamus ad annum
Pastorum dominae grandia liba Pali.
His dea placanda est: haec tu conversus ad ortus
Dic ter, et in vivo prolue rore manus.
Dum licet, apposita, veluti cratere, camella
Lac niveum potes, purpureamque sapam.
Moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos
Traiicias celeri strenua membra pede.
Expositus mos est, moris mihi restat origo.
Turba facit dubium, coeptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit; idcirco cum duce purgat oves.
An quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo, discordes ignis et unda dei;
Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus, et sparsa tangere corpus aqua?
An quod in his vitae causa est; haec perdidit exsul:
His nova fit coniux: haec duo magna putant?
Vix equidem credo; sunt qui Phaëthonta referri

Credant, et nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, cum saxis pastores saxa terebant
Scintillam subito prosiluisse ferunt.
Prima quidem periit: stipulis excepta secunda est.
Hoc argumenti flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Aeneïa fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen est vero propius; cum condita Roma est,
Transferri iussos in nova tecta Lares?
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturae supposuisse casae?
Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos?
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.

Lib. V, v. 1-110.

MAIUS

unde nomen duxerit.

Quaeritis, unde putem Maio data nomina mensi?
Non satis est liquido cognita causa mihi.
Ut stat, et incertus qua sit sibi nescit eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia posse datur diversas reddere causas,
Qua ferar, ignoro, copiaque ipsa nocet.
Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Medusaei signa tenetis equi.
Dissensere deae, quarum Polyhymnia coepit
Prima, silent aliae, dictaque mente notant.
Post Chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,

Inque novas species omne recessit opus;
Pondere terra suo subsedit, et aequora traxit,
At coelum levitas in loca summa tulit.
Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos lunares exsiluistis equi.
Sed neque terra diu coelo, nec caetera Phoebo,
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Saepe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
Ausus de media plebe sedere deus.
Et latus Oceano quisquam deus advena iunxit,
Tethys et extremo saepe recepta loco est.
Donec Honos, placidoque decens Reverentia vultu,
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc sata Maiestas, hos est dea censa parentes:
Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora: consedit medio sublimis Olympo
Aurea, purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul Pudor et Metus. omne videres
Numen ad hanc cultus composuisse suos.
Protinus intravit mentes suspectus honorum:
Fit pretium dignis, nec sibi quisque placet.
Hic status in coelo multos permansit in annos,
Dum senior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus, immania monstra, Gigantes
Edidit, ausuros in Iovis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues,
Atque ait, In magnos arma movete deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iovem.
Fulmina de coeli iaculatus Iupiter arce
Vertit in auctores pondera vasta suos.
His bene Maiestas armis defensa deorum

Restat, et ex illo tempore culta manet.
Adsidet illa Iovi; Iovis est fidissima custos,
Et praestat sine vi sceptra tremenda Iovi.
Venit et in terras; coluerunt Romulus illam,
Et Numa; mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio, matresque tuetur;
Illa comes pueris, virginibusque venit.
Illa datos fasces commendat, eburque curule,
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia. dicta probarunt
Clioque, et curvae scita Thalia lyrae.
Excipit Uranie; fecere silentia cunctae,
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus iuvenes animosaque bella gerebant,
Et pro diis aderant in statione suis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriae saepe ferebat opem.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen et aetatis mite senatus habet.
Iura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est aetas, unde petatur honos.
Et medius iuvenum non indignantibus ipsis
Ibat, et interior si comes unus erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat.
Romulus hoc vidit, selectaque pectora, Patres
Dicit, ad hos urbis summa relata novae.
Hinc sua maiores tribuisse vocabula Maio
Tangor, et aetati consuluisse suae.
Et Numitor dixisse potest, da Romule mensem

Hunc senibus, nec avum sustinuisse nepos,
Nec leve praepositi pignus successor honoris,
Iunius, a iuvenum nomine dictus, habet.
Tum sic, neglectos edera redimita capillos,
Prima sui coepit Calliopea chori:
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua putet, ambit aquis.
Hinc sata Pleïone cum coelifero Atlante
Iungitur, ut fama est, Pleïadasque parit.
Quarum Maia suas forma superasse sorores
Traditur, et summo concubuisse Iovi.
Haec enixa iugo cupressiferae Cyllenes,
Aetherium volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, Ladonque rapax, et Maenalos ingens
Rite colunt, Luna credita terra prior.
Exsul ab Arcadia Latios Euander in agros,
Venerat; impositos attuleratque deos.
Hic ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae,
Et paucae pecudes, et casa rara fuit.
Quo postquam ventum est, Consistite, praescia, mater,
Nam locus imperii rus erit istud, ait.
Et matri, et vati paret Nonacrius heros,
Inque peregrina constitit hospes humo.
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque dei.
Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis;
Cum lustrant celeres vellera secta vias.
At tu materno donasti nomine mensem,

Inventor curvae, furibus apte, fidis.
Nec pietas haec prima tua est: septena putaris
Pleiadum numerum, fila dedisse lyrae.
Haec quoque desierat; laudataque voce sororum est.
Quid faciam? turbae pars habet omnis idem.
Gratia Pieridum nobis aequaliter adsit;
Nullaque laudetur plusve minusve mihi.

Lib. V. v. 183-228.

FLORALIA.

Mater ades florum, ludis celebranda iocosis,
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili; transis in tempore Maii:
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.
Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille vel ille tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris,
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.
Ipsa doce, quae sis. hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego, sic nostris respondit diva rogatis:
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas.
Chloris eram, quae Flora vocor. corrupta Latino,
Nominis est nostri litera Graeca sono.
Chloris eram Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris:
Quae fuerit mihi forma, grave est narrare modestae;

Sed generum matri reperit illa deum.
Ver erat; errabam. Zephyrus conspexit; abibam.
  Insequitur; fugio. fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas ius omne rapinae,
  Ausus Erechthea praemia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptae,
  Inque meo non est ulla querela toro.
Vere fruor semper: semper nitidissimus annus,
  Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi foecundus dotalibus hortus in agris,
  Aura fovet; liquidae fonte rigatur aquae.
Hunc meus implevit generoso flore maritus,
  Atque ait, Arbitrium tu, dea, floris habe.
Saepe ego digestos volui numerare colores,
  Nec potui, numero copia maior erat.
Roscida cum primum foliis excussa pruina est,
  Et variae radiis intepuere comae.
Conveniunt pictis incinctae vestibus Horae,
  Inque leves calathos munera nostra legunt.
Protinus arripiunt Charites, nectuntque coronas,
  Sertaque coelestes implicitura comas.
Prima per immensas sparsi nova semina gentes.
  Unius tellus ante coloris erat.
Prima Therapnaeo feci de sanguine florem;
  Et manet in folio scripta querela suo.
Tu quoque nomen habes cultos, Narcisse, per hortos:
  Infelix, quod non alter et alter eras.
Quid Crocon, aut Attin referam, Cinyraque creatum,
  De quorum per me vulnere surgit honor?

V. 261–330.

Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes; tangunt numen et arva meum.
Si bene floruerint segetes; erit area dives:
Si bene floruerit vinea; Bacchus erit.
Si bene floruerint oleae; nitidissimus annus:
Pomaque proventum temporis huius habent.
Flore semel laeso pereunt viciaeque fabaeque;
Et pereunt lentes, advena Nile, tuae.
Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent, et nebulae dolia summa tegunt.
Mella meum munus: volucres ego mella daturas
Ad violam, et cytisos, et thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus, tunc cum juvenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa virent.
Talia dicentem tacitus mirabar: at illa,
Ius tibi dicendi, si qua requiris, ait.
Dic, dea, ludorum, respondi; quae sit origo,
Vix bene desieram; retulit illa mihi:
Caetera luxuriae nondum instrumenta vigebant,
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est:
Sed iam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi depascere saltus;
Idque diu licuit, poenaque nulla fuit.
Vindice servabat nullo sua publica vulgus;
Iamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad Aediles delata licentia talis
Publiciosq; animus defuit ante viris.
Rem populus recipit; mulctam subiere nocentes,

Vindicibus laudi publica cura fuit.
Mulcta data est ex parte mihi, magnoque favore
Victores ludos instituere novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.
Annua credideram spectacula facta; negavit,
Addidit et dictis altera verba suis.
Nos quoque tangit honos, festis gaudemus et aris,
Turbaque coelestes ambitiosa sumus.
Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Saepe Iovem vidi, cum iam sua mittere vellet
Fulmina, ture dato sustinuisse manum.
At si negligimur, magnis iniuria poenis
Solvitur; et iustum praeterit ira modum.
Respice Thestiaden. flammis absentibus arsit:
Causa est, quod Phoebes ara sine igne fuit.
Respice Tantaliden, eadem dea vela tenebat.
Virgo est, et spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix velles coluisse Dionen,
Cum consternatis deripereris equis.
Longa referre mora est, correcta oblivia damnis:
Me quoque Romani praeteriere patres.
Quid facerem? per quod fierem manifesta doloris?
Exigerem nostrae qualia damna notae?
Excidit officium tristi mihi. nulla tuebar
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant; violas arere videres,
Filaque puniceí languida facta croci.
Saepe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipsa tuas, dixit: dos mihi vilis erat.

Florebant oleae; venti nocuere protervi.
  Florebant segetes; grandine laesa Ceres.
In spe vitis erat, coelum nigrescit ab Austris,
  Et subita frondes decutiuntur aqua.
Nec volui fieri, nec sum crudelis in ira;
  Cura repellendi sed mihi nulla fuit.
Convenere Patres; et, si bene floreat annus,
  Numinibus nostris annua festa vovent.
Adnuimus votis. Consul cum Consule ludos
  Postumio Laenas persoluere mihi.

Lib. V. v. 379—414.

CHIRON.

Nocte minus quarta promet sua sidera Chiron
  Semivir, et flavi corpore mixtus equi.
Pelion Haemoniae mons est obversus in Austros:
  Summa virent pinu; caetera quercus habet.
Phillyrides tenuit, saxo stant antra vetusto,
  Quae iustum memorant incoluisse senem.
Ille manus olim missuras Hectora leto,
  Creditur in lyricis detinuisse modis.
Venerat Alcides exacta parte laborum,
  Iussaque restabant ultima paene viro.
Stare simul casu Troiae duo fata videres,
  Hinc puer Aeacides, hinc Iove natus erat.
Excipit hospitio iuvenem Philyreius heros,
  Et causam adventus hic rogat, ille docet.
Perspicit interea clavam, spoliumque leonis:
  Virque, ait, his armis, armaque digna viro.
Nec se, quin horrens auderent tangere setis
  Vellus, Achilleae continuere manus.

Dumque senex tractat squalentia tela veneno,
  Excidit, et laevo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxitque e corpore ferrum;
  Adgemit Alcides, Haemoniusque puer.
Ipse tamen lectas Pagasaeis collibus herbas
  Temperat, et varia vulnera mulcet ope.
Virus edax superabat opem, penitusque recepta
  Ossibus, et toto corpore pestis erat.
Sanguine Centauri Lernaeae sanguis echidnae
  Mixtus, ad auxilium tempora nulla dabat.
Stabat, ut ante patrem, lacrimis perfusus Achilles,
  Sic flendus Peleus, si moreretur, erat.
Saepe manus aegras manibus fingebat amicis;
  [Morum, quos fecit, praemia doctor habet.]
Oscula saepe dedit: dixit quoque saepe iacenti;
  Vive, precor, nec me, care, relinque, pater.
Nona dies aderat, cum tu, iustissime Chiron,
  Bis septem stellis corpora cinctus eras.

Lib. V. v. 419-492.

LEMURIA.

Hinc ubi protulerit formosa ter Hesperus ora,
  Ter dederint Phoebo sidera victa locum.
Ritus erit veteris, nocturna Lemuria, sacri;
  Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior, nec adhuc pia Februa norant,
  Nec tu dux mensum, Iane biformis, eras.
Iam tamen exstincto cineri sua dona ferebant,
  Compositique nepos busta piabat avi.
Mensis erat Maius, maiorum nomine dictus,
  Qui partem prisci nunc quoque moris habet.

Nox ubi iam media est somnoque silentia praebet,
Et canis, et variae conticuistis aves;
Ille memor veteris ritus, timidusque deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.
Signaque dat digitis medio cum pollice iunctis;
Occurrat tacito ne levis umbra sibi.
Terque manus puras fontana perluit unda,
Vertitur, et nigras accipit ante fabas.
Aversusque iacit: sed dum iacit, Haec ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit. umbra putatur
Colligere, et nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni,
Respicit, et pure sacra peracta putat.
Dicta sit unde dies, quae nominis exstet origo,
Me fugit, ex aliquo est invenienda deo.
Pleiade nate, mone, virga venerande potenti,
Saepe tibi est Stygii regia visa Iovis.
Venit adoratus Caducifer. accipe causam
Nominis. ex ipso cognita causa deo est.
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci iusta soluta Remo;
Faustulus infelix et passis Acca capillis
Spargebant lacrimis ossa perusta suis.
Inde domum redeunt sub prima crepuscula moesti;
Utque erat, in duro procubuere toro.
Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto,
Atque haec exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium vestri, parsque altera voti

Cernite sim qualis, qui modo qualis eram!
Qui modo, si volucres habuissem regna iubentes,
In populo potui maximus esse meo.
Nunc elapsa rogi flammis, et inanis imago,
Haec est ex illo forma relicta Remo.
Heu! ubi Mars pater est? si vos modo vera locuti,
Uberaque expositis ille ferina dedit.
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit, o quanto mitior illa fuit?
Saeve Celer, crudelem animam per vulnera reddas:
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas.
Noluit hoc frater, pietas aequalis in illo est.
Quod potuit, lacrimas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrimas, per vestra alimenta rogate,
Ut celebrem nostro signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt,
Lubrica prensantes effugit umbra manus.
Ut secum fugiens somnos abduxit imago,
Ad regem voces fratris uterque ferunt.
Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Litera, quae toto nomine prima fuit.
Mox etiam lemures animas dixere silentum.
Is verbi sensus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clausere diebus;
Ut nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduae taedis eadem, nec virginis apta
Tempora: quae nupsit, non diuturna fuit.

Hac quoque de causa (si te proverbia tangunt)
Mense malas Maio nubere vulgus ait.
Sed tamen haec tria sunt sub eodem tempore festa,
Inter se nulla continuata die.

Lib. VI. v. 1-100.

IUNIUS MENSIS

unde dictus.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas,
Quae placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquantur;
Nullaque mortali numina visa putent.
Est deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse deorum,
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus; si non obstreperetur aquis.
Hic ego quaerebam, coepti quae mensis origo
Esset, et in cura nominis hujus eram.
Ecce deas vidi non quas praeceptor arandi
Viderat, Ascraeas cum sequeretur oves.
Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
Contulit; ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, sui germana mariti.
Haec erat, agnovi, quae stat in arce Iovis.
Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar;

Cum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus.
Namque ait, O vates, Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos,
Ius tibi fecisti numen coeleste videndi,
Cum placuit numeris condere festa tuis.
Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Iunius a nostro numine nomen habet.
Est aliquid nupsisse Iovi, Iovis esse sororem:
Fratre magis dubito glorier, anne viro.
Si genus adspicitur, Saturnum prima parentem
Feci. Saturni sors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est,
Haec illi a coelo proxima terra fuit.
Si torus in pretio est; dicor matrona Tonantis;
Iunctaque Tarpeio sunt mea templa Iovi.
An potuit Maio pellex dare nomina mensi?
Hic honor in nobis invidiosus erit?
Cur igitur regina vocor, princepsque dearum?
Aurea cur dextrae sceptra dedere meae?
An faciant mensem luces, Lucinaque ab illis
Dicar, et a nullo nomina mense traham?
Tum me poeniteat posuisse fideliter iras
In genus Electrae, Dardaniamque domum.
Caussa duplex irae. rapto Ganymede dolebam,
Forma quoque Idaeo iudice victa mea est.
Poeniteat, quod non fovi Carthaginis arces,
Cum mea sint illo currus et arma loco.
Poeniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas,
Et veterem Latio supposuisse Samon.
Adde senem Tatium, Iunonicolasque Faliscos,
Quos ego Romanis succubuisse tuli.
Sed neque poeniteat: nec gens mihi carior ulla est.

Hic colar, hic teneam cum Iove templa meo.
Ipse mihi Mavors, Commendo moenia, dixit,
Haec tibi; tu pollens urbe nepotis eris.
Dicta fides sequitur. centum celebramur in aris;
Nec levior quovis est mihi mensis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem
Roma; suburbani dant mihi munus idem.
Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum.
Est illic mensis Iunonius. inspice Tibur,
Et Praenestinae, moenia sacra deae.
Iunonale leges tempus. nec Romulus illas
Condidit; et nostri Roma nepotis erat.
Finierat Iuno. respeximus. Herculis uxor
Stabat, et in vultu signa dolentis erant.
Non ego, si toto mater me credere coelo
Iusserit, invita matre morabor, ait.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis huius,
Blandior, et partes paene rogantis ago.
Remque mei iuris malim tenuisse precando,
Et faveas causae forsitan ipse meae.
Aurea possedit socio Capitolia templo
Mater, et ut debet, tum Iove summa tenet.
At decus omne mihi contingit origine mensis,
Unicus est, de quo sollicitamur, honor.
Quid grave, si titulum mensis, Romane, dedisti
Herculis uxori, posteritasque memor?
Haec quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Coniugis. huc captas appulit ille boves.
Hic male defensus flammis et dote paterna

Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.
Ad propiora vocor, populum digessit ab annis
Romulus, in partes distribuitque duas.
Haec dare consilium, pugnare paratior illa est;
Haec aetas bellum suadet, at illa gerit.
Sic statuit, mensesque nota secrevit eadem,
Iunius est iuvenum; qui fuit ante, senum.
Dixit, et in litem studio certaminis issent,
Atque ira pietas dissimulata foret:
Venit Appollinea longas Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen, opusque ducis.
Haec ubi narravit Tatium fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coisse suis,
Et Lare communi soceros, generosque receptos;
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.
Dicta triplex causa est: at vos ignoscite, divae,
Res est arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares a me. perierunt iudice formae
Pergama: plus laedunt, quam iuvet una, duae.

Lib. VI. v. 249–282.

SACRA VESTALIA.

Iupiter Pistor.

Vesta, fave: tibi nunc operata resolvimus ora:
Ad tua si nobis sacra venire licet.
In prece totus eram. coelestia numina sensi,
Laetaque purpurea luce refulsit humus.
Non equidem vidi (valeant mendacia vatum)

Te dea; nec fueras adspicienda viro.
Sed quae nescieram, quorumque errore tenebar,
Cognita sunt nullo praecipiente mihi.
Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cum flammae custos aede recepta sua est.
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.
Quae nunc aere vides, stipula tunc tecta videres,
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.
Forma tamen templi, quae nunc manet, ante fuisse
Dicitur, et formae causa probanda subest.
Vesta eadem est, quae terra; subest vigil ignis utrique,
Significant sedem terra focusque suam.
Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subiecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas subiectum sustinet orbem.
Quique premat partes angulus omnis abest;
Cumque sit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terram mundus haberet onus:
Arte Syracosia suspensus in aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli.
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus, a pluvio vindicat imbre tholus.

V. 295-318.

Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
Mox didici curvo nulla subesse tholo.
Ignes inexstinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Vesta, nec ignis, habent.
Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur,
Causaque par Graii nominis esse potest.
At focus a flammis, et quod fovet omnia dictus,
Qui tamen in primis aedibus ante fuit.
Hinc quoque vestibulum dici reor, inde precando
Adfamur, Vestam, Quae loca prima tenes.
Ante focos olim longis considere scamnis
Mos erat, et mensae credere adesse deos.
Nunc quoque cum fiunt antiquae sacra Vacunae,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto,
Fert missos Vestae pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
Et Fornacali sunt sua sacra deae.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum servat pistor, dominamque focorum,
Et quae pumiceas versat asella molas.

V. 349-460.

Nomine quam pretio celebratior, arce Tonantis,
Dicam, Pistoris quid velit ara Iovis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis;
Fecerat obsidio iam diuturna famem.

Iupiter ad solium superis regale vocatis,
Incipe, ait Marti. protinus ille refert:
Scilicet ignotum est, quae sit fortuna meorum?
Et dolor hic animi voce querentis eget?
Si tamen, ut referam breviter mala iuncta pudori,
Exigis: Alpino Roma sub hoste iacet.
Haec est, cui fuerat promissa potentia rerum,
Iupiter? hanc terris impositurus eras?
Iamque Suburbanos, Hetruscaque contudit arma.
Spes erat in cursu nunc Lare pulsa suo est.
Vidimus ornatos, aerata per atria, picta
Veste triumphales succubuisse senes.
Vidimus Iliacae transferri pignora Vestae
Sede. putant aliquos scilicet esse deos?
At si respicerent, qua vos habitatis in arce,
Totque domos vestras obsidione premi;
Nil opis in cura scirent superesse deorum,
Et data sollicita tura perire manu.
Atque utinam pugnae pateat locus! arma capessant;
Et, si non poterunt exsuperare, cadant.
Nunc inopes victus, ignavaque fata timentes,
Monte suo clausos barbara turba premit.
Tum Venus, et lituo pulcher trabeaque Quirinus,
Vestaque pro Latio multa locuta suo.
Publica, respondit, cura est pro moenibus istis,
Iupiter; et poenas Gallia victa dabit.
Tu modo, quae desunt fruges, superesse putentur
Effice: nec sedes desere, Vesta, tuas.
Quodcunque est Cereris solidae cava machina frangat;
Mollitamque manu duret in igne focus.

Iusserat, et fratris virgo Saturnia iussis
 Adnuit, et mediae tempora noctis erant.
Iam ducibus somnum dederat labor. increpat illos
 Iupiter, et sacro, quid velit, ore docet:
Surgite, et in medios de summis arcibus hostes
 Mittite, quam minime perdere vultis, opem.
Somnus abit, quaeruntque novis ambagibus acti,
 Perdere quam nolint, et iubeantur opem.
Ecce Ceres visa est. iaciunt Cerealia dona.
 Iacta super galeas, scutaque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso
 Candida Pistori ponitur ara Iovi.

Forte revertebar sacris Vestalibus illac,
 Qua Nova Romano nunc Via iuncta Foro est.
Huc pede matronam vidi descendere nudo:
 Obstupui, tacitus sustinuique gradum.
Sensit anus vicina loci, iussumque sedere
 Adloquitur, quatiens, voce tremente, caput.
Hoc, ubi nunc fora sunt, udae tenuere paludes,
 Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
 Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas;
 Nil praeter salices, cassaque canna fuit
Saepe suburbanas rediens conviva per undas
 Cantat, et ad nautas ebria verba iacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris,
 Nomen ab averso ceperat amne deus.
Hic quoque lucus erat, iuncis et arundine densus,
 Et pede velato non adeunda palus.

Stagna recesserunt, et aquas sua ripa coercet,
  Siccaque nunc tellus, mos tamen ille manet.
Reddiderat causam: Valeas, anus optima, dixi:
  Quod superest aevi, molle sit omne tui.
Caetera iam pridem didici puerilibus annis,
  Non tamen idcirco praetereunda mihi.
Moenia Dardanides nuper nova fecerat Ilus;
  Ilus adhuc Asiae dives habebat opes.
Creditur armiferae signum coeleste Minervae
  Urbis in Iliacae desiluisse iuga.
Cura videre fuit; vidi templumque locumque:
  Hoc superest illi: Pallada Roma tenet.
Consulitur Smintheus, lucoque obscurus opaco
  Hos non mentito reddidit ore sonos.
Aetheream servate deam; servabitis urbem:
  Imperium secum transferet illa loci.
Servat, et inclusam summa tenet Ilus in arce;
  Curaque ad haeredem Laomedonta venit.
Sub Priamo servata parum: sic ipsa volebas,
  Ex quo iudicio forma revicta suo est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes,
  Seu pius Aeneas eripuisse datur.
Auctor in incerto est, res est Romana: tuetur
  Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.
Heu quantum timuere Patres, quo tempore Vesta
  Arsit, et est tectis obruta paene suis!
Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes,
  Mistaque erat flammae flamma profana piae.
Attonitae flebant demisso crine ministrae,
  Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, et magna, Succurrite, voce,
  Non est auxilium flere, Metellus ait.

Pignora virgineis fatalia tollite palmis,
 Non ea sunt voto, sed rapienda manu.
Me miseram! dubitatis? ait, dubitare videbat,
 Et pavidas posito procubuisse genu.
Haurit aquas; tollensque manus: Ignoscite, dixit,
 Sacra: vir intrabo non adeunda viro.
Si scelus est, in me commissi poena redundet,
 Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit, et irrupit, factum dea rapta probavit,
 Pontificisque sui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis sacrae sub Caesare flammae,
 Ignis in Iliacis nunc erit, estque focis.
Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
 Hoc Duce, nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit: quia quam violavit, in illam
 Conditur: et Tellus, Vestaque, numen idem est.

Fast. VI, v. 651-710.

Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores,
 Nunc ades o coeptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in Urbe?
 Quid sibi personae, quid stola longa volunt?
Sic ego: sic posita Tritonia cuspide dixit.
 Pace velim doctae verba referre deae:
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
 Magnus, et in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis;
 Cantabat moestis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempusque secutum,
 Quod subito Graiae frangeret artis opus.

Adde quod Aedilis, pompam qui funeris irent,
  Artifices solos iusserat esse decem.
Exsilio mutant Urbem, Tiburque recedunt:
  (Exsilium quodam tempore Tibur erat.)
Quaeritur in scena cava tibia, quaeritur aris,
  Ducit supremos naenia nulla toros.
Servus erat quidam, quantolibet ordine dignus,
  Tibure; sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo; turbamque canoram
  Convocat. ad festas convenit illa dapes.
Nox erat, et vinis oculique animique natabant,
  Cum praecomposito nuntius ore venit.
Atque ita, Quid cessas convivas solvere? dixit:
  Auctor vindictae iam venit, ecce, suae.
Nec mora; convivae valido titubantia vino
  Membra movent; dubii stantque labantque pedes.
At dominus, Discedite, ait: plaustroque morantes
  Sustulit. in plaustro scirpea lata fuit.
Adliciunt somnos tempus, motusque, merumque,
  Potaque se Tibur turba redire putat.
Iamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
  Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius ut possent specie, numeroque senatum
  Fallere, personis imperat ora tegi.
Admiscetque alios: et ut hunc tibicina coetum
  Augeat, in longis vestibus ire iubet.
Sic reduces bene posse tegi: ne forte notentur
  Contra collegae iussa redisse sui.
Res placuit, cultuque novo licet Idibus uti,
  Et canere ad veteres verba iocosa modos.

Haec ubi perdocuit, superest mihi discere, dixi,
  Cur sit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine festa,
  Estque sub inventis haec quoque turba meis.
Prima terebrato per rata foramina buxo,
  Ut daret effeci tibia longa sonos.
Vox placuit; faciem liquidis referentibus undis,
  Vidi virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est; valeas, mea tibia, dixi:
  Excipit abiectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur; at usum
  Nescit, et inflatum sensit habere sonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras;
  Iamque inter Nymphas arte superbus erat.
Provocat et Phoebum, Phoebo superante pependit:
  Caesa recesserunt a cute membra sua.
Sum tamen inventrix auctorque ego carminis huius,
  Hoc est cur nostros ars colat ista dies.

Index.

A.

Ab arte insignis etc. 6. 7. *ab*, *ἀπό*. i. q. post. 18. *ab hoste perire*. 21. *ab* (*ex*) inservit circumscribendo Adiectivo. 152.
Ablativus instrumenti de hominibus. 36.
Achaemenium, Persicum. 282.
adfectus. 51.
adflari. 45.
admissus, incitatus. 120.
adsuescere. 50.
Adverbium pro Adiectivo. 204.
ἀδύνατα. 39.
Aegypti inundatio. 212.
Aelinon. 168.
aequus, amicus. 27.
aliquis, *quis* cum nominibus propriis. 313.
alterius est dichoreus. 126.
Amazones securibus armatae. 96. *gerebant peltas excisas*. ib.
ambitiosus. 95.
Amomum. 54.
Anapaestus in fine pentametri. 4.
Angusticlavii. 9.
anteponere. 189.
antiquus, prior. 73.
Arctos ab axe versa. 23. *sicca*. 29.
arena, litus. 267.
Ariadnes simulacra saxo insidentis. 128.
Aristophanes emendatus. 189.
arma temporis. 17. 77.
ars, artes. 6. *artis opus*. 308.
artae res. 104.
assidua Minerva. 228.
Assyrii odores. 197.
Attalicae vestes. 284.
auctor, nuntius. 156.
Augusto divini honores decreti. 22. *Augustum numen*. 63.
aurum virgines plurimum gestabant. 178.
aut, alioquin. 42.
aversus, iratus, infestus. 23. 105. 250.
Axenus olim vocabatur Pontus Euxinus. 86.

B.

Bacchari. 29.
Baiae i. q. thermae. 251.

bene Messalam. 225.
bona verba dicere. 231.
bracca. 87.
βρέχεσθαι, βαπτίζεσθαι, madere 225.

C.

Cadunt vela, verba etc. 233.
Caeruleus amnis. 219.
Caetera, τἆλλα. 108.
Kalendae Martiae feminis celebrabantur. 241.
calere, ἐνθουσιάζειν. 81. magno fervore geri. 221.
Calvus poëta. 173.
campum dare aequo. 278.
Canephoroe. 178.
capilli in lectu ponebantur. 152.
capita brachia. 209.
caput pro homine. 33. fons fluminis, non ostium. 39. 69.
καρπαία. 86.
cassia. 205.
casu; fortuito, non forte. 48.
censeri de domo. 94.
χλωρός. 7.
choreae, chori pro carminibus. 277. 291.
Choriambum in fine pentametri repudiavit Ovidius. 3.
cistae mysticae. 215.
classica pulsa. 186.
claudus, claudicat, cui deest aliquid. 95. cf. Addenda.
clavus vestis Romanae ornamentum. 9.
clipeum post vulnera. 22.
color. 49.
coma resecta, donum funereum. 273.
commodum, *ὄφελος.* 150.
confundi, de an. pert. 167.
consors apud Nasonem frater et soror. 106.
cornua Bacchi. 222. *librorum,* umbilici. 243.
Correptio diphthongi in mediis vocibus. 73. cf. Addenda.
Cottae Messalini mores. 109.
cultus liber. 244.
Currus, triumphus. 312.

D.

Danai ab Epapho genus. 159.
de, propter. 93. materiam significat. 193.
debilis, πηρός. 69.
debita iura. 14.
decumanus fluctus. 31.
degenerare aliquid. 92.
desertus, qui est in locis desertis. 188.
destituere, deserere absol. 187.
deterrere, dehortari. 198.
Dî bene. 30.
dî dapibus sibi oblatis ipsi [illegible] sunt. 192.
Dianae Tauricae simulacrum. 107. 109.
dicere, canere. 261.
dissolvere c. Gen. 214.
diversa terra. 20.
dives aurum. 217.
ducere aere, excudere. 203.

Dulichius. 80.
dux pecoris, pastor. 218.

E.

equi non equitis in certamine Olympico coronati. 16.
erat tempus etc. p. est. 278.
error de amore. 150.
excantare. 299.
excipere. pacisci. 289.
excutere [illegible] alicui. 239.
exiguissimus, *assiduissimus* etc. 144.
exire de navibus e portu navigantibus. 99.
expedit. 48.
exurit Amor. 256.
exuviae postibus affixae. 194.

F.

Fabula, [illegible] cuius pudeat. 13.
facere, convenire. 64.
fatigare noctes. 318.
favere, cupere. 164. *favere lingua.* 231.
felix arbor, [illegible] 90. *ager*, magnus, [illegible] *felix in coniuge.* 306.
fere, plerumque. 60.
ferire [illegible]. 11. *arte ferire*, decipere. 299.
ferre pro auferre. 26. non pro efferre. 25. *utilitatem* capere. 112.
fides pro eo quod fidem facit. 142.
ad [illegible] [illegible] pro patuo. 154.
flava Gallia. 210.
flere in funeribus. 15.
focus igne lucens laetitiae signum. 22. 187.
fora tria. 74.
frontes geminae liberorum. 243.
fugere, mori. 94.
funus, mortui et corpus et anima. 311.
furtim. 8.

G.

Gallus poëta. 278.
Genio sacra fiunt. 6. 232. *Genius* idem qui Natalis. 236.
graciles Musae, elegiae. 282.
gratum, quod parit gratiam. 103.

H.

Hic, ego. 258.
hiscere, loqui. 295.
hodierne venias, [illegible] hodie. 216.
honestus, pulcher. 283.
Horatius illustratus. 44. emendatus. 130.
Hymenaeus diffinitur [illegible] lamio. 139.
[illegible] 58.
Hyperbolae frequentes apud Ovidium. 27.

I.

Iacere et *manere*, [illegible] 217.

item cum *sit*. 21. acuit coniunctionis vim. 32. *iamiam*. 38.
ignis in nuptiis usus. 136.
ignoti. 40.
ilicet. 239.
imago vocis, Echo. 156.
impellens. 45.
increpare, indignabundum queri. 316.
iniustum mare. 160.
inoffensus. 43.
insomnia num. pl. non de vigiliis. 64.
intonsae comae iuvenum. 236.
iniurare leges. 311.
non invidiosus, ἄφθονος. 32. quod non parit invidiam. 95. ἀνεπίφθονος. 96.
irriguus, qui irrigat. 226.
ita sim felix. 261.
iugera non pro agris. 185.
Iupiter Pluvius. 212.
iura i. q. imperium. 148.
ius iniustum. 88.
iusta ferre. 14.

L.

Labentes oculi. 51.
laeti agri. 235.
lapides memores, μνημεῖα. 286.
Laribus primitiae frugum offerebantur. 188. sacra fiebant in Ambarvalibus. 190. porca immolabatur. 219.
lectus adversus. 319.
liber laborum etc. 122. *revertendi*, i. cui licet reverti. ibid.
libum. 5.
liquet, *liquido*. 51.
lucorum apud veteres religio. 175.
lupata, *lupi* quid? 147.
luteus, croceus. 214.

M.

Madere de ebriis. 225.
madidi ocelli. 171.
magis, potius. 34.
magna loqui. 239.
mala verba. 221.
male fidus etc. 37. 125.
Maleae promontorium. 161.
Manes in funere vocati. 246.
Marcia aqua. 294.
marmorum apud vett. genera. 249.
marmoreus, candidus. 161.
Megalesia. 74.
mel coelitus demissum. 202.
membrana lutea, librorum involucrum. 242.
Minyae. 67.
mittere et *remittere* de nuntiis. 136. *se mittere*, proiicere. 289.
mores differunt ab *ingenio*. 38.
Mors tenebris adoperta. 195. 197.
multa tabella, *aqua* etc. 200.
muneris est. 36.
musta et *vina*. 180.
myrtus ovantium corona, triumphantium laurus. 148.

N.

Natantia lumina. 171.
naulum Charontis. 312.
nefas, ἀθέμιτον. 15.
nempe coniecturalis est. 154.
nihil producit ultimam. 95.
nocere, de rebus veneratis. 11. 86.
non meus est, adversus. 250.
nube velabant dii, quos periculis eripere vellent. 107.
numeri enallage. 196.
nympha pro nupta. 119.

O.

Obligari (votis). 86.
obortis tenebris. 26.
obscaenum, quod est mali ominis. 158.
obscurus, niger. 168.
occidit et Pelopis genitor, proverbialiter. 205.
offendere in limine mali erat ominis. 199.
Olympiades cum lustris commutantur. 15.
opus i. q. argumentum. 166.

P.

Palilia. 192.
pallia dormientium. 146.
Parcae fata canunt. 208.
parcere, inservit periphrasi imperativi. 27.
pars — alii. 71.
paterae et *patellae*. 193.
pati desertum esse, deserere. 269.
pecus, grex. 192.
Pelasgus Argivorum rex. 138.
Peligna frigora. 4.
pellere equum, natare. 254.
per, inter. 64. *per facinus*: 126. *per ego* in obtestandi formulis. 130.
persona imponitur. 92.
petere iter. 108.
pilam sortiri. 315.
plangere Apim. 212.
pocula gemmea. 308.
poenitere de iis quorum nulla est in nobis causa. 106.
ponere tempus. 113. *poni de ventis*, remittere. 264. de nive et rore, cadere. 267.
portus et ara. 123.
possidere, inesse, habitare. 294.
premere, imminuere. 97. *pressus*, mersus. 160.
Priapus hortorum custos. 190.
prior, potior. 37.
procedere, *processus*. 46.
proelia miscere. 205.
προτέλεια. 139.
pubes, populus. 209.
purpura dibaphos. 256.

Q.

Quaerere, non agnoscere. 237.
que. 56.
queri cum aliquo. 65.
qui, pron. interr. 3.
quid fuit? 40.
Quinquatrus. 6.

quis addito subst. 79.
quisquam tam in affirmativis, quam in negativis ponitur sententiis. 67. cum verbo pl. num. 162.
quisque, quando pluralem verbi adsciscat. 162.
quum, quo tempore. 268.

R.

Rarus, pulcher. 271.
recitari solebant Romae scripta. 114.
ridere, vox in sacris solemnis. 202.
relegati. 24.
remittit se humus. 252.
ros, aqua. 288.
rudis. 53.
rumpantur crines in luctu, rapiuntur in imagin. 127.
rumpi invidia. 270.
rursus ut Graecum αὖ significat contra. 99.

S.

Sabbathum Romanis religiosum. 199.
sanguinem facere. 142.
satiari, taedio affici. 227.
sceleratus, infaustus. 206. 313.
scilicet. 30. 113.
scire, cognoscere. 200.
Scylla Nisi cum Crataeidis filia commutatur. 98.
securum, quod reddit securos. 226.
semisopitus correpta media syll. 126.
servare pro observare. 47.
si in obtestandi formulis. 35.
si tamen, wenn anders. 104. 274.
sic in obtestandi formulis. 240.
signare apposito nomine rei fidem facere. 104.
sinistri tonitrus. 49.
sistra Isidis. 169. 200.
Siticines. 155.
solida humus pro *solita*. 31. 163.
sollicitus, qui affert sollicitudinem. 10.
sortes tollere. 198.
Spes dea. 187.
stirps. 5.
stare (*incedere*, *venire*) pro simplici esse. 157. 275.
sub oris dote. 20. *sub pedibus*. 40.
submittere se ad pedes. 200.
summus, ultimus. 24. 169.
surdus, inexorabilis. 311.
surda, quae non sonant. 262.
suspendere, differre. 222.
suus pro eius. 48. 181. *sua terra*. 163.
Symplegades. 160.

T.

tabulae votivae. 200.
tacito passu. 8.
tempora fundere mero. 215.
tempore, in tempore 317.

tendere brachia est deprecantium, et opem implorantium. 149.
tenere i. q. detinere. 11.
tenuare carmen. 291.
texere naves. 301.
Thalia pro Musa. 12.
theatra terna. 74.
tibia ad aras canebatur. 230.
τις cum plur. verbi. 162.
titulus librorum. 243.
toga libera. 8.
Tomis, Tomi, Tomos. 68.
tonsa captivorum et servorum coma. 315.
tonsores Romam adducti. 225.
traducere vitam. 187.
Triptolemi currus. 62.
Triumviri capitales. 10.
tubarum in funeribus usus 155.
tum in plurium rerum enarratione. 206.
turres, domus excelsae. 215.

U.

Ultimus, remotissimus. 25. 144.
ultima, summa mala. 265.
unguentorum in funeribus usus. 197.
ut, ex quo. 85.

V.

Vale, subst. 23.
variatio constructionis. 199.
velatae viae. 176.
ventosus, celer. 280.
verum, aequum. 286.
vestis iacens quid? 177.
vincere spem, frustrari. 240.
Virgilius emendatus. 104. illustratus. 134.
Virgo, aquae ductus. 74.
viride aevum. 7.
voce vocare. 229.
vulgi arma. 218.

Errata.

p. 6. adn. v. 21. l. Ita etiam triatrus, decim.
- 28. v. 5. l. Quid vetat.
- 33. v. 12. l. litora.
- 35. adn. v. 7. l. εἴ ποτέ τοι.
- – – 8. l. ἦ εἰ δή ποτέ.
- 36. adn. v. 12. l. Hermesianactis.
- 38. adn. v. 3. l. est pro et.
- – – 16. l. agamus.
- 41. adn. v. 1. pro pessime l. passim.
- – – 3. pro tum l. tam.
- 44. adn. v. 2. l. stadium.
- 46. v. 14. l. ratem, non ratem,
- – adn. v. 2. l. rapturi.
- 50. v. 2. l. putes
- 60. adn. v. 10. l. fuge sortem claram honoribus, quae.
- 72. adn. v. 19. l. litéra.
- 89. adn. v. 8. l. impetraverit.
- 149. adn. v. 3. l. Apollinis.
- 154. adn. v. 8. l. ἀκούσητε.
- 158. v. 8. pro vota l. verba.
- 161. adn. v. 19. l. promontorio.

ib. ult. dele prius ita.

p. 197. adn. v. 10. l. co-gnitum.

...ürnich ||||

...radgraff |||

[illegible] ||||

...Rals ||||

Auer... ||||

~~[illegible] |~~

Werdmann |||

...ecke ||||

...ette ||||

Werner |||

...cinikien ||||

...atow ||||

Plylus ||||

Lanbow ||||

...ilka ||||

...uride ||||